STATVTORVM PRIVERNI VOLVMEN.





Quas Pater hic ſancto firmauit robore, nullo
Vt tolli poſsint tempore, vel minui.



Te Dominum veneror, te gaudeo Ciue, tuisq;
Auſpiciis leges proſiluere meæ.

Hinc precor, is ſuperet viuacis ſecula cerui,
Tuq; geras illo deficiente vices.



ROMAE,

Apud Hæredes Antonii Bladii Impreſſores Camerales.
Anno, M. D. LXXIII.

Dilectis filijs Syndico, & Officialibus Terræ Priuerni.

GREGORIVS PAPA XIII.

Dilecti filij ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Promeretur fides, & deuotio, quas ad nos, & Romanam geritis Eccleſiam, vt nos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequamur. Hinc eſt quòd nos vos, & veſtrum ſingulos à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtitis, ad effectum præſentiũ duntaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus veſtris hac in parte nobis porrectis inclinati, omnia, & ſingula ſtatuta, conſtitutiones, ordinationes, reformationes terræ veſtræ licita, & honeſta, ac ſacris canonibus non contraria, necnon quæcunque priuilegia, facultates, libertates, immunitates, exemptiones, prærogatiuas, & indulta, vobis dictæque Terræ per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac ſedem, & Cameram Apoſtolicam, ipſiuſque ſedis de latere legatos, & aliàs quomodolibet, tàm apoſtolica, quàm ordinaria, vel alia auctoritate hactenus conceſſa, necnon deſuper confectas literas apoſtolica auctoritate tenore præſentiũ quatenus ſint in vſu, approbamus, & confirmamus, ac illis plenariæ, & inuiolabilis firmitatis robur addijcimus, illaſque, & illa validas, & efficaces, ac ualida, & efficacia fuiſſe, & eſſe, ac ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, necnõ ab omnibus, ad quos ſpectat, perpetuò, & inuiolabiliter obſeruari, ac ita per quoſcunque Iudices, & commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, etſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Quo circa venerabili Fratri Epiſcopo Terracineñ. ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel alter eorum per ſe, vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte veſtra fuerint requiſiti, ſolenniter publicantes, vobiſque in præmiſſis, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra vos præmiſſis omnibus, & ſingulis, iuxta præſentium continentiam, & tenorem pacificè gaudere, Non permittentes vos deſuper à quoquam quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, aut inquietari: Contradictores quoslibet, & rebelles, ac vobis in præmiſſis non parentes, per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacij Papæ viij. prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus non tamen tribus dictis, & quibuſuis alijs conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunq;. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die iij. Aprilis. M. D. LXXIII. Pontificatus noſtri anno primo.

Cæ. Glorierius.

TABVLA STATVTORVM
Priuerni. Liber Primus ſuper Regimine.

PRoœmium Statutorum. fol. 1.
De veneratione feſtiuitatum Dei, & Sanctorum. eodem.
De electione D. Poteſtatis, & Iudicis eiuſque officio. 2.
De iuramento præſtan. per D. Poteſtatem, & Iudicem. 4.
De electione Notarii maleficiorum eiuſque officio. 5.
De electione, & officio D. Cancellarii Communis. eodem.
Quod Notarius maleficiorũ, & Cancellarius conſignent ſuos libros. 6.
Qui non poſſint in Poteſtatem eligi, & Iudicẽ Notarium maleficiorum, & Cancellarium. eodem.
De officio Actuarii Banchi ciuilium. eodem.
De electione Buſſulatorum pro nouo magiſtratu creando. 7.
De creatione noui magiſtratus. eodem.
Qui non debeant buſſulari. 9.
De officio dd. Syndici & officialium. eodem.
Qui non debeãt eligi ad officia magiſtratibus inferiora. 12.
Quod nemo plura officia ſimul habeat. eodem
De officio D Syndici gñalis communis. codẽ.
De officio D. Reſidentis. eodem.
Quod dd. ſyndicus & officiales proponant in Conſilio de Medico, & Magiſtro Grammaticæ. 13.
De Macello proponendo in Concilio. 14.
De officio centurionum. eodem.
De officio octo virorum campi. eodem.
De officio depoſitarii. 16.
De officio camerarii 17.
De officio præfectorũ pretiis imponendis. 19.
De paceriis, & eorum officio. 21.
De viariis & eorum officio. eodem.
De viſoribus communis. 22.
De cuſtodibus caſtanearum. 23.
De cuſtodibus contratarum, ſeu priuatorum. eodem.
De ſexdecim cuſtodibus communis. 24.
De ordine in officiis vacantibus. 25.
De ſalario lucrando per obitum D. Poteſtatis & Cancellarii in officio. 26.
De vacatione officii DD. Syndici & officialiũ & aliorum officia gerentium in Palatio cõmunis. eodem.
De oratoribus, ſeu Ambaſciatoribus communis. eodem.
De expenſis faciendis rectori prouinciæ. codẽ
Quod aſſumptus ad officium gerat illud per pſonam propriam. eodem.
Quod nullus excuſetur ab officio per abſentiam. 27.
De Concilio generali proponendo. eodem.
De Concilio minori proponendo. 28.
De Concilio querelarum quolibet menſe faciundo. eodem.
De collectis ſeu datiis. eodem.
De contractu conſortium reuiſendo. 30.
De rebus communis locandis. eodem.
De nundinis. 31.
De mercato faciundo. eodem.
De extero qui pro Ciue habeatur. 32.
De mandatariis, & eorum officiis. eodem.
De officio militis ſiue Executoris Cu. 33.
Quæ prius pignora ſint auferenda a debitoribus, & qui non habent in bonis ex bandiantur. 34.
De ſyndicatore eligendo eum aſſiſten. eodem.
Qui parere debeant ſyndicatori. 35.
Quando Poteſtas non habeat ſalarium tamquã Commiſſarius. eodem.
De colluſtratione Ciuium armatorum. eodẽ.
De Brauiis faciundis. 36.
De applicatione pœnarum. eodem.
De Archiuiis ſcripturarum communis. 37.

LIBER II.
Super Ciuilibus.

DE citation. per mandatarium faciẽdis. 38.
De feriis & feriatis diebus in quibus non redditur ius. eodem.
De modo procedendi & terminis dandis in ciuilibus. 39.
De appellationibus. 40.
De executione inſtrumentorum, & Chirographorum eodem.
De condemnation. contumacialibus, & audiẽdis reis contumacibus. eodem.
De cauſis mercedũ, & earũ præſcriptione. 41.
De terminis dandis ad reluendum, & ſoluen. eodem.
De creditoribus poſt ſubhaſtatũ pignus. codẽ.
De pignoribus ſubhaſtatis, & deliberatis reluendis. eodem.
De petentibus plus debito, & debitum iam ſolutum. eodem.
De libris mercatorum, & aromatoriorum. 42.
De præſcriptionibus. eodem.
De famulis in ſeruitium dominorũ aſſumptis. eodem.
De Notariis publicis qui prothocollum faciãt eodem.
Quod venditor emptorem, & ſucceſſores in re defendat. 43.
Quod dd. syndicus & officiales non procurent in Palatio Communis pro priuatis. eodem.
De cautione præſtanda per forenſes litigantes cum ciuibus. eodem.
Quod Ciues non aduocent neque procurent contra Communitatẽ pro forenſibus. eodẽ.
De cauſis inter conſanguineos. eodem.
De contractibus minorum, & mulierum. codẽ
De fidem frangentibus in ſponſalibus. eodem.

De

De ſolutione per macellarios ſuis creditorib⁹ faciendaſimiliter, & caupones, & econuer ſo. fol. 44.
De cauſis terminandis,& decidendis. eodem.
De cauſis inter Ciues & foreſes. eodem.
De iuramento litis deciſiuo. eodem.
De interrumpentibus colloquia ante Tribunal. eodem.
De ſuſpitione fugæ. eodem.
De ceſſione bonorum. 45.
De iure congrui,& rebus ſtabilibus forenſibus non alienandis. eodem.
De repreſaliis contra Ciues.eodem.
Quod Chriſtianus non cõueniat Iudæos in eorum feſtis nec e contra.eodem.
De ſucceſſione impuberum. 46.
Quod mulier dotata, ſeu dotanda non ſuccedat. eodem.
De lucro dotis & veſte lugubri ſoluto matrimonio. eodem.
De rebus dotalibus conſtante matrimonio ab vxoribus alienatis. eodem.

LIBER III.

Super Criminalibus.

DE modo procedendi in Criminalibus. 47.
In quibus cauſis non poſſit ex officio procedi per Inquiſitionem. eodem.
De pœna blaſphemantium. 48.
De verbis iniurioſis & maledicis. eodem.
De pœna percutientium & offendentium ſine armis. eodem.
De pœna percutientium cum armis. 49.
De pœna amputantium vel debilitantium manum vel aliud membrum. eodem.
De pœna inſultantium, euaginantium arma, & adminantium cum eis. eodem
De mouentoſe de loco ad locum animo rixandi. eodem.
Qui non habet in bonis luat in corpore. eodẽ.
Quibus liceat defendere alios. 50.
De furtis & bonis ui raptis. eodem.
De diſrobatione ſtratarum. eodem.
De fractione, ſeu excaſſatione domorũ. eodẽ.
De ponentibus ſcalas ad feneſtras. eodem.
De furantibus vaſa,ſeu teſtas gariofilorum,aut aliorum florum ſeu verdurarum. 51.
De contumelijs ex actibus inhoneſtis. eodem.
De homicidio. eodem.
De operantibus venena. eodem.
De raptu mulierum, adulterio, inceſtu & ſtupro. eodem.
De pœna ſtuprantis uirginem nondum uiripotentem. eodem.
De inferentibus uim mulieribus, & per uim oſculantibus. eodem
De attentata pudicitia mulierum de nocte uel in loco occulto. eodem.
De inhoneſte alloquentibus mulierem. 52.
De concubinis, & concubinariis. eodem.
De lenonibus. eodem.
De muliere malæ famæ percutiente mulierem bonæ famæ, aut eam iniuriante. eodem.
De iniuriantibus, & offendentibus officiales Curiæ. eodem.
De pœna periurii eodem.
De falſariis. eodem.
De aperientibus literas alienas. eodem.
De proiicientibus lapides in domos alienas. 53.
De proiicientibus lapides, ligna, & ſimilia de tecto,uel domo in uias publicas. eodem.
De priuato carcere. eodem.
De ſibi ipſi de facto iuſtitiã adminiſtrãte. eodẽ.
Quod nullus intra Priuernum ſcoplum aut baliſtã audeat exonerare, aut diſparare. eodẽ.
De accuſato volente accuſare ſuum accuſatorem. eodem.
De beneficio confeſſionis pacis, & ſolutionis. eodem.
De accuſante, & non probante. 54.
De pœna Mandantium in delictis. eodem.
In quibus caſibus ſoluatur legitima a parentibus. eodem.
De correctione minorum. eodem.
De filio iniuriante patrem. eodem.
De encipantibus arbores. eodem.
De incidentibus alienas arbores. eodem.
De euellantibus Plantas alienas. eodem.
De incidentibus vites, & pergulam. eodem.
De occidentibus alienas beſtias, ſeu eas vulnerantibus. eodem.
De ludentibus ad ludos prohibitos. 55.
De ſpolio. eodem.
De turbata poſſeſſione. eodem.
De famulo alicuius delinquente.
De fideiuſsionibus dandis de non offendẽ. eodem.
De negantibus nomen ſuum. eodem.
De igne immiſſo, & de incendiariis. eodem.
De intrantibus, uel exeuntibus per alia loca quam per Portas Terræ Priuerni. 56.
De vim inferentibus portinario publico communis. eodem.
De ex trahentibus annonam. eodem.
De graſcia aliunde Priuernum portata. eodem.
De impedientibus Cu. ſeu executores. eodem.
Quod quilibet teneatur currere ad clamores. 57.
De pœna frangentium pacem. eodem.
De pœna vtentis commodatum, ſeu locatum præter conuentiones factas. eodem.
De pœna vtentis rebus alienis. eodem.
De furantibus vuam in ciſtis deque auferentibus palos aut cannas de vinea. eodem.
De murantibus in locis publicis aut priuatis & in eis macerias detinentibus. eodem.
De abrenunciantibus pignora. eodem.
De euellentibus, ſeu deſtruentibus terminos. eodem.
De tumultuantibus. eodem.
De abolitione. 58.
De pœna minorũ 14. annis in maleficiis. eodẽ.
De demolientibus murum alienum. eodem.
Quod molendinarii non retineant frumentum proprium in molendinis. eodem.
De molendinariis, & cane non retinendo in molendinis. eodem.

De

De deferentibus arma prohibita. eodem.
De pœna monopolii. eodem.
De pœna retinentium beſtias externas in fraudem communis. 59.
De pœna ementium, & vendentium fruges nō recollectas & alia victualia ad pretium certum. eodem.
De prouocatione ad duellum.
De percuſſo de nocte, vel occulte. eodem.
De maleficis, & facturis, ac ſtrigibus. eodem.
De fideiuſſore repræſantante ſuum principalē. eodem.
De dantibus fauorem, & auxilium in maleficiis. eodem.
Quod mulier non bonæ famæ non moretur in vicinia inuitis vicinis. eodem.
De Chriſtianis fœnerantibus. eodem.
De libellis infamatoriis, & ſimilibus. eodem.
De ſimoniacis. eodem.
Quod maior quatuordecim annis admittatur ad accuſandum. 60.
De cautionibus præſtan. per forenſes accuſantes in maleficiis. eodem.
De citationibus reorum in contumacia. eodē.
De occupante rem communis, aut uiam publicam, ſeu vicinalem. eodem.
De non emendo rem litigioſam. eodem.
De carceratione mulierum. eodem.
De cuſtodia carceris. eodem.
De cauſis criminalibus carceratorum expedien. eodem.
De non aſtringendo aliquem ad fideiuſſionem de ſe præſentan. fine cauſa expreſſa. eodem.

LIBER IIII.

Super damnis datis.

DE pœna deuaſtantium. 61.
De colligentibus fructus ſeu poma aliena. eodem.
De portan. fructus quos non habet in prædiis ſuis. eodem.
De licentia cōcedenda in alienis locis. eodem.
De damnum dante in re vicini. eodem.
De damnum dante in horto non clauſo. eodē.
De damnum dantibus in malis aureis exiſtentibus in platea communis. 62.
In vineis. eodem.
In deſertinis vineis. eodem.
De vado exparato, ſeu aliter de nouo facto. eodem.
In oliuis. eodem.
In foſſis, ſeu cauatis. eodem.
In cannetis. eodem.
In palis & ſarmentis. eodem.
De proiicien. ſarmenta, & ſimilia in loca aliena. eodem.
In pyris ſilueſtribus, & malis neſpulis, & glandibus. eodem.
In leguminibus. eodem.
De metentibus farraginem, ſeu frumentum in herba, & cæteras herbas in locis non conceſſis, ac torta de frumento, aut hordeo non faciendo. eodem.
De deuaſtan. capānas alienas, & in eas beſtias immittentibus. 63.
De damnum dante in foreſtis alienis. eodem.
De inciden. ligna caſtanearum. eodem.
De auferente ligna inciſa caſtanearum. eodē.
De auferente alia ligna inciſa quàm caſtanearum. eodem.
De traiecta & ſemita. eodem.
De ſtante iuxta arborum fructus, & in cauatis vinearum. 64.
De incidente palmires vitium, & eas de locis auferen. eodem.
De venientibus ad molendinum exteris acfouentis cum fructibus, ſeu palis in ignē. eodē.
De auferente paleas ex aliena area ſeu illam recolligente. eodem.
De ſandalaria. eodem.
De beſtiis damnum dantibus in vineis, ac deſertinis. eodem.
In frumento hordeo, & leguminibus ac lino. eodem.
In lupinis. eodem.
In herbis ſatis, ac pratis, ghiffato, & in cauatis. eodem.
De Ghiffato. 65.
In oliuetis, & aliis arboribus eorumque fructibus. eodem.
Quod beſtiæ caprinæ non poſſint vagari per foreſtas caſtanearum. eodem.
De damno dato in fœnilibus, ſeu palearibus in terra, & Territorio Priuerni exiſtentibus. eodem.
Quod non liceat incidere mortellam in monticello, & in monte S. Laurentii. eodem.
De licentia paſcendi in prædiis alienis a dominis concedenda. eodem.
De duplicatione pœnarum propter ſtudium, & propter plus ſemel, & de pœna paſtoris. eodem.
Quod pro beſtiis dd. officialium, & cuſtodum campi communis pœnæ duplicentur. 66.
Quod pœnæ dd. officialium ſyndici, & cuſtodum ac militum campi duplicentur eodem.
Quod pœnæ de nocte duplicentur. eodem.
In caſarciis, frumento meſſo, hordeo, & cæteris quæ ſub appellatione bladorum veniunt, & eis eruncatis. eodem.
De diffugio ſiue effugimento. eodem.
De tranſuerſantibus beſtiis per ſata. eodem.
In frumento cæteriſq; bladis trituratis in area, eodem.
De beſtiis in hortis. eodem.
De vado exparato, & maceria depulſa per beſtias. 67.
Quod pro pluribus accuſantibus in damnis datis in vno loco, & eodem tempore, vna pœna ſoluatur. eodem.
De beſtiis immiſſis ad potum in flumen amaſenum, & paulinum, mazzochium, & alias cauatas. eodem.
De tranſuerſantibus mazzocchium, ſandalariam, & alias cauatas groſſas de curſu in cāpo Priuerni eodem.
De beſtiis prope vineas noctis tempore.

De cane in vineis. eodem.
De beſtiis tranſuerſan. cauatas cultas. eodem.
De beſtiis armenticiis euntibus per intra campum. eodem.
De beſtiis domitis, & armenticiis ſolis ſine Paſtore. eodem.
Quod pro beſtiis accuſatis de damno dato nulla ſit pœna, vbi damnum non apparuerit. 68.
Quod beſtię non morentur in planitie campi Priuerni laboratorii, certis diebus, & temporibus, & de beſtiis caballinis intra campum. eodem.
Quod beſtiæ poſſint paſcere per foreſtas, & extra campum. eodem.
De non retinen. beſtiis bubalinis neque porcinis in Territorio Priuerni, & quorum porci nę beſtiæ ſint retinendæ intra Priuernum, ac fidandæ in ſpicatico. eodem.
De porcis damnum dan. in arearum paleis nō recollectis. eodem.
Quod beſtiæ non detineantur in locis publicis intra Priuernum, eodem.
De beſtiis paſcentibus in Ripa fluminis. 69.
Quod beſtiæ domitæ poſſint paſcere vbique ſine pœna, & de campanis earum obturatis. eodem.
De beſtiis diffidatis. eodem.
De beſtiis caballinis exterorum ad triturandū. eodem.
De exteris lignantibus, piſcantibus, & aucupātibus. 70.
Quod Priuernates non retineāt ad ſtallum beſtias externas, & ſi in ſoccitam tenuerint, quid facere debeant. eodem.
Quod Priuernates non tradant ſuas beſtias in ſoccitam forenſibus retinendas in Territorio Priuerni. eodem.
Quod pluries accuſatus eodem die de intra cāpum pro una accuſatione condemnetur. eodem.
De famulo alicuius damnum dante manuale. eodem.
De pœna impetrantium bandimenta a ſuperioribus in damnis datis contra formam ſtatuti. eodem.
De gallinis damnum dantibus in alienis hortis eodem.
De pœna minorum in damnis datis. eodem.
Quod liceat ciuibus retinere greges ad ſtercorandū ſuas poſſeſſiones intra campū. eodē.
Quod beſtiæ cuiuſcunq; generis poſſint ire & redire in pantanū prunetorū ad potum. 71.
De forma accuſationum in damnis datis. eodē.
Quibus credatur in accuſando. eodem.
Intra quantum tempus liceat accuſare in damnis datis. eodem.
De Inquiſitione formanda in damnis datis.
De modo procedendi in damnis datis. 72.
Intra menſem Index ſententias proferat. eodē.
De applicatione pœnarum in damnis datis.
De confinibus tenimenti nuncupati intra campum campi de caſa. eodem.
De confinibus tenimenti nuncupati intra campum campi de Ioſo. 73.

LIBER V. SVPER Extraordinarijs.

Quod vicinis cauet ad petitionem vicini & de pœna ſibi vſurpantis in cauando. 73.
Quod colonus canet expenſis poſſeſsionis quā colit. 74.
De menſuris & ponderibus non ſigillatis & nō æquis. eodem.
De auferen. piſces aut aues de retibus alienis, eodem.
De ponen. retia in alienis plagariis. eodem.
De inciden. arborem, ſeu ſtipitem in plagario. eodem.
De piſcantibus in alienis piſcheriis, & eas exparantibus. eodem.
De dimouente retia & laqueos ac naſſas in ſuū vſum, aut aliter. eodem.
De eſcatorio. 75.
De arātibus vias publicas, ſeu vicinales. eodē.
De forenſibus non receptādis in Terra Priuerni. eodem.
De domibus non locandis neque venden. forēſibus. eodem.
De cautionibus non recipien. a doctoribus neque Notariis. eodem.
De inuentis de nocte ſine lumine, aut igne. eodem.
Quod nullus vadat cantando neque ſonando de nocte. 76.
De canentibus, luden. & commoran. circū circa Monaſterium S.Claræ. eodem.
De cogendis venditoribus tempore neceſſitatis. eodem.
De macellariis & eorum miniſterio. eodem.
Quod vendentes carnes in macello non reſiſtant pretio impoſito per ſupraſtantes. 77.
Quod plures carnium domini non vendant in eodem banco. eodem.
De beſtiis morticinis. eodem.
De immunditiis macellariorum. eodem.
De ſalſamentariis, ſeu pizzicarolis. eodem.
De apponen. impedimentum, & offendicula in viis publicis. 78.
Quod non fuſtigentur fruges in platea communis, ſeu in eccleſiis. eodem.
De diſtrictu fori ſeu plateæ communis. eodem.
De ſubuertente famulum alicuius. eodem.
De turbatione, ſeu captione areæ ad trituran. & aquæ pro lino. eodem.
Quod non liceat natare nec aliqua facere, vel exercere prope mulieres lauantes in flumine Amaſeno dum lauant. eodem.
De linis forenſium non maturan. in Territorio Priuerni. 79.
De auferen. puzzulanam, ſeu letamen de locis publicis. eodem.
De furnariis. eodem.
De pœna proiicientis aquam de domo & alias immunditias. eodem.
De immunditiarum proiectione, & quibuſcunque aliis ſpurcitiis. eodem.
De pœna turbantis aquam fontis leonis. 80.

De pœna accottumantis. eodem.
De piſciuendulis & piſcatoribus. eodem.
Qui ſint honorandi in venditionibus. 81.
Quod mulieribus non liceat cadauera mortuorum comitari ad Eccleſiam. eodem.
De his qui morantur in molendinis oliuarum & earum molitoribus. eodem.
Quod nullus retineat paleas in diſcoperto intra Priuernum. eodem.
De menſura terrarum. eodem.
De vadis inuentis in piſcheriis, ſeu foſſellis. eodem.
De iacientibus in columbos. 82.
De nouo ponte nō faciūdo ſuper flumine Amaſeno neque Paulino & per eum non transeūdo eodem,
De ludentibus caſeo, & rotulis, ſeu pilis ligneis. eodem
De macinulantibus linum. eodem.
De non obſeruātibus promiſſum ſeu de gabbo. eodem.
De lucro interficientis lupum. eodem.
De rumore non faciendo circa Eccleſias dum verbum Dei prædicatur. eodem.
De Iudæis Priuerni habitantibus. eodem.
De currentibus cum equo per plateam. 83.
De loco in quo fructus vendi debeant. eodem.
Quod vicinus vendat [illegible] vicinis non habentibus, eodem.
De decima ſoluenda per calcararios. eodem.
De macertis, ſeu muris cadentibus. eodem.
De cuſtodia portarum. eodem.
De ciuibus fictiue ementibus beſtias foreſium. 84.
De mercatoribus pannorum. eodem.
De ſimilibus ad ſimilia. eodem.
De conductoribus terrarum. eodem.
Quod exteri non poſſint ferre arma per Priuernum, & eius Territorium. eodem.
De beſtiis etiam foreſium ſcriptis ad macellum. eodem.
Quod quilibet habitator Priuerni plantet arbores. eodem.
De calcinariis coriariorum. eodem.
De menſuris radendis, & quę ad culmum. eodē.
De igne in platea prope ſcalas S. Mariæ in vigilia Natiuitatis Domini. 85.
Intra quotum tempus liceat accuſare in extraordinariis. eodem.
De gabella piſcium. eodem.
Quod fiat idem vicino, quod Priuernatibus per vicinum ſeu finitimum factum fuerit. eodē.
De ſolutione intraturæ cāpi per beſtias, eodē.
De gabella magna. eodem.
Tabula ſoluendorum in Ciuilibus, 86.
Tabula ſoluendorum in Criminalibus. 88.
Tabula Cancellarii Communis. 89.
Tabula ſoluendorum in damnis datis, eodem.
Tabula militis, ſeu Executoris Curiæ. eodem.
De mercede Mandatariorum. 90.
De mercede, ſeu patrocinio Procuratorum, & Aduocatorum. eodem.
Tabula mercedum Notariorum in ſcripturis, ſeu inſtrumentis. 91.

F I N I S.

STATVTORVM

Priuerni Liber Primus Super Regimine & Gubernio.

Procemium Statutorum antiquæ Ciuitatis Priuerni

QVANTA Fuerit apud maiores noſtros legum auctoritasQuæ Diui
nas & humanas res bene diſponit,ſtudium quod in illis promulgandi
poſuere,facile demonſtrat.Quapropter legum latores ſummis laudi-
bus ſunt extollendi,& non immerito ſapientes exiſtimauerũt nullam
ciuitatem,nullum oppidum,nullum deniq; locũ ſine legibus diu perſi
ſtere poſſe,Eumq; ſolum populum ciuitatis appellatione dignum,qui
optimis legibus inſtitutis a magiſtratibus regatur & gubernetur.
Quod & ſi Priuernati populo noſtro Ad hęc vſq; tempora penitus non defuerit, Cum
per eius progenitores ſanctiſſimis legibus,& optimorum magiſtratuum moderatione, ex-
cultus fuerit.Erãt tamẽ illæ ſic imperfectæ,laniate,dubiæ,& obſcuræ, ac fere in vnaquaque
ſui parte uitiatæ.& aliquæ correctione,& emendatione dignæ: Nonnullæ etiam noua cõſti
tutione indigebant:Ita vt populus incerto magis iure,& cõſuetudine quadam in pluribus
vti coactus fuerit.Sed quoniã quod paulatim labitur, renouare exquirimus,& cõſonas cau
ſis imponere leges compellimur,ciuium comodis omni cura ſtudentes,& nouas iuris for-
mas edere,inopinabileſq; machinationes quæ lites quotidie inuenire conantur,modo anti
quarum approbatione vel declaratione,modo nouarum conſtitutionum editione,Quan-
tum in nobis eſt reprimere,necnon quæ in futurum emergere poſſent fraudibus obuiare
ac reſiſtere cupientes,vt ſecundum varietatem temporũ ſtatuta varientur humana, & no-
uis rebus nouum adhibeatur remedium.Iccirco nos Ferdinandus Ciminus Syndicus.Ioan
nes Bernardini Ioannis,Vincentius Maccius,Vincentius Zeppa,Fabius compagnonus, Ioã
nes accaddus,Antonius grauina,Vincẽtius filicis,& Marcus paparellus officiales ãtiquæ ci
uitatis Priuerni & eius cómunis,nomine totius populi ciuitatis prædictę Adhibitis Magnifi
cis dominis Benedicto Bartholi de Fano I.V.D. celeberrimo in præſentia poteſtate &
Iudice ordinario dictæ ciuitatis,Ioanne Petro Leo,& Iubentio Caporitio,etiam V.I. Do-
ctoribus,ac egregio Cynthio pennazzolo Notario publico,necnon D.Pompeio de bellis ci
uibus,& alijs ex ciuitate prudentioribus,Has compendioſas leges & conſtitutiones deſcri-
bi & promulgari curauimus,quibus digna bonorum habetur ratio,& malorum conquiſi-
tio non negligitur,vitia extirpantur,exceſſus corriguntur,lites dirimuntur,diſcordiæ ſedã
tur,ſeditiones comprimuntur,damna prohibentur,& mores in melius reformantur. Ciui
tas cuſtoditur,circa eius annonam prouidetur,Magiſtratus viciſſim ordinatur, & munera
omnia quæ cõfuſa erant,noua diſtribuuntur ſerie;verus Deo cultus,ſanctiſſ.D.N. Papæ &
ſanctæ ſedi apoſtolicæ honos & obedientia,& magiſtratibus obedientia iniungitur. Quas
ſanctas,immobileſq; fore,& ab omnibus illæſas obſeruari edicimus.

De veneratione Feſtiuitatum Dei & Sanctorum.

IN primis Chriſti & beatiſſimæ Virginis Mariæ,necnon S.Thomę de Aquino aduocati &
protectoris Terrę Priuerni,& omnium ſanctorum nominibus pie inuocatis.

Statuimus & ordinamus quod nullus infraſcriptis diebus poſſit aliquam ſeruilem operã
exercere,nec mercimoniam operari,videlicet.In feſto Natiuitatis S.D.N.Ieſu Chriſti, ſan-
ctorum Stephani,Ioãnis euangeliſtæ,& Innocentium,Circuncisionis Domini.Veneris ſan-
cti & ſabbati ſancti,vſquequo fuerit diuina officia de mane celebrata,Reſurrectionis D.N.
Ieſu Chriſti,cum duobus diebus ſequeñ. Aſcenſionis domini,Pentecoſtes cum duobus die
bus ſequeñ.Die Iouis feſti ſanctiſſimi corporis Chriſti,ſancti Io.Bapt.omnium feſtiuitatum
beatiſſimæ virginis Mariæ & omnium apoſtolorum, ac omniũ Euangeliſtarum,Michaelis
archangeli,Cõmemorationis omnium ſanctorum vid.prima die menſis Nouembris, & cõ
memorationis Mortuorum vſquequo fuerint diuina officia de mane celebrata,ac etiam in
fraſcriptorum ſanctorum in quorum honorem ędificatæ ſunt eccleſiæ in terra Priuerni &

eius territorio, videlicet S.Thomæ de Aquino, s.Benedicti, s.Sebaſtiani, s.Chriſtoferi, s Ni colai, s.Viti, s.Luciæ, s.Georgii, s.Clare, s.Crucis menſis Maii, s.Franciſci, s. Laurentii, s. Vincentii, & s.Bernardini, inſuper & aliarum feſtiuitatum de pręcepto S. M. E. exponẽ tium, ſub pœna Carl. quatuor pro quolibet contrafaciente qualibet vice.

De electione D. Poteſtatis & Iudicis eiuſq; officio.

QVoniam Prætor principis locumtenens, eius quodammodo refert poteſtatẽ, congruũ quidem erit vt cęteris eius dignitas præferatur, & in hoc noſtro volumine primam ſedem obtineat. Quare ſtatuimus & ordinamus quod DD. Officiales Cõmunitatis Priuerni qui pro tempore erunt in eorum officiis iuxta formam ſtatutorum infraſcriptorum quibuſlibet duobus menſibus ante finem officii & ſemeſtris D. Poteſtatis & Iudicis congregato concilio vt moris eſt, proponant populo iuxta antiquam cõſuetudinem quatuor viros probos iuris vtriuſq; doctores, qui in poteſtates & Iudices eligantur, & electi confirmentur a præfato populo & concilio per buſſulas & pallucтas ſub pœna xxv. ducatorũ in quemlibet eorum cõmuni Priuerni pro tertia parte, & pro reliquis duabus partibus cameræ apoſtolicæ ac accuſatori applicañ.

Item quod facta electione & confirmatione per modum prçmiſſum mittatur ſequenti die Nuncius a prædictis DD. officialibus expenſis quidem cõmunis, qui afferat cuilibet electo & confirmato vt ſupra prætori & iudici literas de huiuſmodi electione loquentes, ad hoc vt poſſit electus prætor cum ſuperioribus ſibi prouidere, & neceſſaria parare, & ſi præfati DD. officiales in hoc tempore mittere neglexerint puniantur pœna prædicta ſolueñ. & applicañ. vt ſup.

Item quod domini officiales nullas debeant ſuper huiuſmodi electione publicare ſeu legere literas cõmendatitias, aut aliqua verba de eiſdem facere in congregato concilio, ſub pœna vt ſupra.

Item quod horum quatuor electorum & confirmatorum a populo vnus gerat officium prætoris & iudicis per ſex mẽſes continuos, incipiendos a die quo perſonaliter oſtenderit literas patentes in forma breuis S.D.N. aut aliter D. Gubernatoris prouinciarum campaniæ & maritimæ in platea, ante palatiũ cõmunis Priuerni, & officiũ iurauerit modo & forma inferius ponenda, quo etiam tempore priuilegium ſui doctoratus oſtendere debeat, & ſi perſonaliter ad ſuſcipiendum officium non comparuerit, non admittatur per procuratorem, & nullus poteſtas ad officium admittatur niſi electus & confirmatus a concilio vt ſup. ſub pœna x. duc pro quolibet officiali aliter admittente.

Item quod D. Poteſtas præfatus debeat retinere durante ſuo officio præfato ſaltem vnũ militem exterum, & non ciuem aut incolam priuernatem ſeu finitimum, vel alicui Baroni in prouinciis præfatis caſtrum habenti, ſubditum, qui miles ſit executor curiæ Priuernatis, atq; armatus incedat per Priuernum eiuſq; diſtrictum ad neceſſaria peragenda, ſub pœna vt ſupra, quantum ad D. Poteſtatem, quantum vero ad militem præfatum præmiſſa non obſeruantem pœna ſit carl. xx. accuſatori & cõmuni præfato æque applicañ. quotiens &c.

In milite vero aſſumendo ſeu aliter retinendo pro cuſtodia campi Priuerni nullam habeat D. Poteſtas electionem, & in eligendo auctoritatem, ſed ea ſeruetur DD. officialibus. Habeat autem D. Poteſtas ſuper præmiſſis ſolum confirmationem, & ſolitam cum eo de pœnis pactionem.

Item quod poteſtas & iudex præfatus debeat quolibet die iuridico hora ſolita & cõſueta ſedere & perſonaliter adeſſe, niſi legitima cauſa impeditus, in ſolito prætorio, quod Banchum appellant, & ita ſedens debeat ius ſuum vnicuiq; tribuere, parteſq; litigantes benigne audire, ſub pena carlenorum xx. quotiens &c.

Item quod ſtatim finita audientia in banco iuris debeat accedere vna cum Actuario in veſtibulũ palatii cõmunis, videlicet in introitũ eiuſdem inter primam & ſecundam ianuã, & ibidem honeſtius mulieribus iuſtitiam miniſtrare, ſub eadem pœna.

Item quod præfatus D. Poteſtas teneatur intra triduum poſtquam a Camerario cõmunis requiſitus fuerit, exigi facere per ſuum executorẽ omnes & ſingulas pœnas condemnationum pecuniarum, quas ei in ſcriptis idem Camerarius porrexerit & dederit exigendas, ipſiq; camerario totas & integras ita exactas vt præmittitur iuxta poſſibile, conſignare, aut

conſi-

conſignari facere,nihilq; ſibi retinere,etiam de aliqua parte forſan ſibi contingente, ſub pœna duc.v.de eius ſalario deducendorum.

Item quòd ſi præfatus D.Poteſtas præmiſſa facere neglexerit in exigẽdo,& ſibi aliquid de exactis retinendo,præter pœnam prædictam per eum ſoluendam, id totum ſuo ſalario duplicatum compenſetur.Si vero Camerarius cõmunis poſt exactionem pœnarum requiſitus a D.Poteſtate,partem ſibi aliquo modo contingentem,iuxta formam ſtatutorum, aut conuentionũ cum dicto milite campi faciendarũ,ſtatim illi non conſignauerit, dummodo præſentia ſyndici cõmunis,ſeu D.Reſidentis,interſit,poſſit ab eodem cogi & compelli per modum executionis,ad duplum ei ſolueñ.de ſuo proprio,& ea pars quæ D. Poteſtati contingebat,tota cõmuni applicetur in hoc caſu,ſalua quidem in præmiſſis exceptione legitimę prohibitionis,& quod per ipſum camerarium minime ſteterit.

Item ſtatuimus & ordinamus quod D.Poteſtas & Iudex prædictus nõ poſſit nec debeat vnà cum ciuibus Priuerni in eorũ domibus inuitatus, vel nõ inuitatus comedere,ſub pœ-duc.x.totiens quotiens,&c.Liceat tamen eidem in feſtiuitatum quarundam publicis epulis intereſſe & cum ciuibus comedere ſine aliqua pœna.

Item quod præfatus D.Poteſtas & iudex debeat ad requiſitionem DD.officialium depoſitarii & camerarii cõmunis decernere omnia mandata pro his quæ concernunt rem communis ſine aliqua mercede,cæteriſq; omnibus & ſingulis habentibus officium in palatio. quantum ad eorum officium pertinuerit,& ad ipſorum requiſitionem debeat præſtare omne auxilium & fauorem,ſub pœna duc.x.totiens quotiens,&c.

Item quod præfatus D.Poteſtas debeat intereſſe omnibus & ſingulis conciliis publicis pertractandis ſuper negociis cõmunis,ſub pœna x.duc.totiens quotiens,&c. præterquam ſi legitime impeditus fuerit,& in caſibus infraſcriptis.

Item quod vbi euenerit in conciliis tractari de aliquo quod interſit præfati D. Poteſtatis & iudicis,nullo modo ei liceat ibi intereſſe,& ſi contrafecerit,pro pœna ſoluat duc.x.de ſuo ſalario totiens quotiens,&c. Permittatur autem ei in his caſibus locumtenentem pro ſe conſtituere,qui in ſimilibus pręſit.

Item quod durante ſuo officio debeat præfatus D.Poteſtas & iudex reſidere in palatio cõmunis & non alibi,nec deambulaturus de dicto palatio ſolus exire,ſub pœna x.duc.

Item quod præfatus D.Poteſtas nullam poſſit amplificare,aut diminuere pœnam, vbi per ſtatutum ſpecialiter inuenitur expreſſa,ſub pœna xx.duc.& nihilominus pœna ſic amplificata,aut diminuta,nihil operetur.

Item quod præfatus D.Poteſtas & iudex nõ poſſit imponere pœnas aliquas, ſub forma præcepti,quæ excedant ſummam duc.x. In caſibus vero pro ſedanda rixa, vel fideiuſſores dando de non offendendo,aut ſe repreſentando,vel a palatio,ſeu alio loco non diſcedendo,ac in cauſa ciuili magnæ ĩportantiæ,Et in his præceptis faciendis cum clauſula iuſtificatoria poſſit ad libitum,prout caſus poſtulauerit, pœnas quaſcunq; imponere, ſub forma præcepti,dummodo in præmiſſis omnibus & ſingulis aliquid ſibi non applicet. Et ſi aliter factum fuerit per eum, præceptum intelligatur nullum.

Item quod prętatus D.Poteſtas non poſſit obtinere refirmam ſine concilio, cui quidem intereſſe non poſſit,& ſemel confirmatus,non poſſit amplius quoquomodo refirmari, & ſi aliter fuerit factum,refirmatio illa intelligatur nulla.

Itẽ quod præfatus D.Poteſtas in ſuo ſemeſtri fabricari faciat in menſibus Priuerni in locis ſibi per DD.officiales deſignandis,ſex cannas muri de ſuo ſalario, quod facere debeat poſt dimidium ſemeſtris ſui officii,& ſi neglexerit,debeat depoſitarius,aut camerarius cõmunis eas fabricari facere de ſalario prędicto,ſub pœna x.duc.Q uod ſi mænia ipſa dictam fabricam nõ exegerint, nullo modo poſſint DD. officiales impenſam ipſam pro cõmuni retinere,ſed eam conuertere in alias fabricas & vſus pios eorum arbitrio,ſub pœna x.duc. totiens quotiens,&c.

Item quod D.Poteſtas & iudex teneatur intra tempora a ſtatutis ordinata expedire omnes & ſingulas cauſas,tam ciuiles,quã criminales,[illegible] continuatione terminorum,nihil faciendo cõtra ſtatuta quæ loco ſuo de terminis obſeruandis poſita ſunt,ſed ipſis ſeruatis terminis ad ſententiam properet cauſarum,prout iuris ordo voluerit & ratio poſtulauerit,ad pœnam x.ducatorum pro qualibet cauſa,ſi per eum contrafactum fuerit.

Item quod in abſentia D. Poteſtatis ſine conſtitutione locumtenentis, habeat D. Syndicus cōmunis eandem poteſtatem, quam locumtenens haberet, vſq; ad reditum dicti D. poteſtatis.

Item quòd D. poteſtas debeat facere impenſas victus Notario maleficiorum conuenientes conditioni ipſius notarii, atq; eidem ſalarium ſoluat de ſuo proprio vnius ducati pro quolibet menſe, & vbi inter eos legitime diſſideretur, conueniens merces pro impenſis ipſi notario faciundis per DD. officiales de ſalario D. poteſtatis detrahatur.

Item quòd quolibet menſe ſoluat Cancellario cōmunis vnum ducatum pro ſuo ſalario de ſuo proprio ēt. Sed ſi contigerit quod per vnam tantum perſonam notariatus maleficiorum & cancellariatus officia gerantur, ſoluat nihilominus duos ducatos pro quolibet menſe, & impenſas vt ſupra eidem faciat, quæ ſalaria poſſit ſoluere Depoſitarius, aut Camerarius ad computum ſalarii D. Poteſtatis.

Item quòd D. Poteſtas & Iudex nulli e cuſtodibus, vel aliis officia gerentibus in palatio cōmunis, ſeu priuatis ciuibus, debeat licentiam dare, quæ cōcernat immunitatem ſuorum officiorum, ſeu contra formam ſtatutorum, ſub pœna decem duc. totiens quotiens &c. de ſuo ſalario auferen. & nihilominus licentia nulla ſit.

Item quod D. Poteſtas & Iudex præfatus non debeat abeſſe Priuerno alibi pernoctādo durante ſuo officio, ſine cōſenſu DD. officialium, ſub pœna duorum duc. pro quolibet die. Et cum euenerit de eorum conſenſu id fieri, non abſit vltra octo dies, Cum conſtitutione Locumtenentis, ad placitum DD. Officialium deputandi per idem tempus, si verò vltra dictos octo dies abeſſe contigerit Priuerno, nullum ſalarium lucretur nec pro ſe ipſo nec pro locumtenente, & officium ſuum iam tunc vacare intelligatur.

Item quod ſalarium D. Poteſtatis & iudicis prædicti ſint nonaginta ducati pro quolibet ſemeſtri, ad rationem quindecim ducatorum menſe quolibet, ſoluendorū per depoſitariū cōmunis, & ſolutiones fiant hoc modo videlicet. Poſt duos primos menſes ſui officii ei ſoluantur per depoſitarium prædictum triginta ducati, & ſic de bimeſtri in bimeſtrem & in fine bimeſtris ducati xxx. niſi ex ipſa ſolutione aliquid deduci contigerit pro mœnibus & ſalario Notarii & Cancellarii vt ſupra dictum iam fuit, aut pro ſolutione pœnarum iuxta formam huius ſtatuti. Reliquos vltimos triginta ducatos retineat depoſitarius vſq; ad ſententiam ſyndicatus ipſius D. poteſtatis.

De Iuramento præſtando per D. Poteſtatem & Iudicem.

VBi verò D. Poteſtas & Iudex Priuerni patentes literas ſui officii DD. Officialibus, ſeu D. Syndico & Reſidenti cōmunitatis oſtenderit, ſuiq; doctoratus priuilegium exhibuerit, infra ſcalas s. Marię in platea cōmunitatis prædictæ, tunc DD. Syndicus & Reſidens præfati, ſeu D. Reſidens ſolus in abſentia D. Syndici, aut D. ſyndicus in abſentia D. Reſidentis iniungat Cancellario, ad id vocato, lectionem ſtatuti infraſcripti formę iuramēti D. Poteſtatis, qui cancellarius dicat alta & intelligibili voce in hanc, quæ ſequitur, formam vid.

Magnifice D. Prætor & Iudex noſter, Hoc ſtatuto cauetur & ordinatur, quod D. Prætor ſeu poteſtas & iudex Priuerni, priuſquam ingrediatur palatium, in hanc, quæ ſequitur, formam iuſiurandum præſtet, videlicet.

Ego N. prætor ſeu poteſtas & iudex Priuerni ad præſens deputatus, tactis corporaliter his ſacroſanctis ſcripturis iuro & promitto, in hac mea pretura & officio deſēdere, quantū in me erit, omnes & ſingulos magiſtratus Priuernatum, eorumq; iura & conſuetudines in ipſorum fauorem introductas, iuriq; nō diſcrepantes, Statuta obſeruare ſine vlla exceptione, Conuentioneſq; & capitula quomodolibet cum finitimis compoſita, attendere & obſeruare: æquè diuiti atq; pauperi ius facere & iuſtitiam miniſtrare: ſyluas montes, & campos, huiuſq; Terræ diſtrictum, ac ciues intra & extra, a quacunq; moleſtante perſona, illæſos tenere iuxta vires mei officii, omniaq; alia & ſingula facere, quæ in ſtatuto de electione D. Poteſtatis & Iudicis ſupra cōtinētur. & iterum ita iuro ad ſancta Dei Euangelia obligans me ad pœnam xx. duc. præter pænas ſtatutarias. ſi præmiſſa non adimpleuero.

Quo facto accedat D. Poteſtas primum ad eccleſiam. ſcriptum eſt. n. primum quærite regnum Dei, & facta oratione ante ſanctiſſ. Sacramentum Euchariſtiæ in collegiata eccleſia s. Marię, reuertatur vt palatium ingrediatur: Et eo ingreſſo, D. ſyndicus aut D. Reſidens loco poſſeſſionis officii præbeat & conſignet ipſi D. Poteſtati palatium & ſtantias ſolitas & conſuetas

conſuetas ſuæ reſidentiæ.Et Cancellarius patentes literas in libro reformationū deſcribat vnà cum die adeptę poſſeſſionis huiuſmodi,ſub pœna x.duc.

De electione Notarij Maleficiorum eiuſque officio.

STatuimus & ordinamus,quod DD.officiales,qui per tempora erunt, ante menſem completi officii Notarii maleficiorum,conuocare habeant conciliū,& in eo proponere duos notarios maleficiorum,qui in dicto concilio eligantur:Quorum vnus ſolus oſtendendo patentes literas ſuper eius officio rectoris prouinciarum campaniæ & maritimæ, poſt ad eos miſſum nuncium per cōmune de huiuſmodi electione facta,admittatur ad officium ſuis loco & tempore per continuum ſemeſtrē a die perſonalis apprehenſæ per eum poſſeſſionis huiuſmodi officii.

Eius autem officium ſit,in maleficiis ac etiam extraordinariis inquiſitiones, delationes, & accuſationes,ſeu querelas fideliter ſcribere,ſub forma & ſtilo per iura cōmunia, ſeu prouincialia, aut municipalia Priuernatum conſtitutis & ordinatis,vnà cum eorum proceſſibus integris & ſententiis proferendis,Nihil in præmiſſis addēs,mutāſue,aut minuens, tam ſtando in officio,quàm poſt illud finitum.Qui notarius non abſit Priuerno poſt cęptū officium alibi pernoctādo,ſine cōſenſu DD.Officialium, ſub pœna amiſſionis officii, & nihilo minus ſi cū eorū conſenſu aberit, per eius abſentiam ſalarium ei non currat,ſed communi acquiratur,& officiū cōtinuetur, ac ſi in eo manſerit,& præmiſſa iuret obſeruare,obligans ſe ad pœnam decem ducatorum,præter pœnas iuris & ſtatutarias,& pareant ſyndicatui.

Item ordinamus,quod dictus Notarius maleficiorū refirmationem nō petat ſui officii, niſi ſemel,in concilio,a quo tantum concedatur,& poſt primam refirmam,aliam obtinere non poſſit quoquomodo,& ſi aliter factum fuerit,refirmatio huiuſmodi nulla ſit. Et officiales,qui contra hoc ſtatutū refirmare præſumpſerint,puniantur pœna xx.duc.qua etiam pœna puniatur dictus notarius, ſi ab eo fuerit contrafactum.

Item quod teneatur idem Notarius,pro rebus cōmunis ſcribere in actis per eum ſcribēda.Salarium vero ipſius ſit vnius ducati quolibet menſe,& habeat expēſas victus.Quæ omnia a D.Poteſtate recipiat,iuxta formam ſtatuti de ſuo officio loquentis.

De electione & officio D.Cancellarij Communis.

STatuimus & ordinamus,quod de electione D.Cancellarij,eiuſq; iuramento,& parendo ſyndicatui,atq; refirmationem non petendo,neq; de ea per DD.Officiales concedenda, ac de admiſſione ad officium,idem fiat quod ſupra in proximo ſtatuto de electione notarii maleficiorum ordinatum apparet.Cuius ſalarium ſit vnius ducati quolibet menſe,ſine expenſis,niſi pro notario maleficiorum etiam officium gerat,quod ſalariū ex prouiſione,ſeu ſalario D.Poteſtatis,vt ſupra,ſibi ſoluatur.

Officium vero ipſius Cancellarij ſit,ſcribere in libro reformationum omnia & ſingula concilia publica ſeu priuata,necnon congregationes & deliberationes quaſlibet DD. officialium,locationes,proteſtationes & querelas ad officia cōmunis ſpectañ.& pertineñ. tam actiuè quàm paſſiuè,necnō ſcribere omnia memorialia tradenda omnibus cōmuniter pro tempore quoquō deſtinandis,ſub pæna,in quolibet præfatorum ſic non obſeruatorum duorū duc.totiensquotiēs &c.Quæ oīa & ſingula præmiſſa debeat deſcribere vt ſupra, ſub ſuis diebus,menſibus & annis,cum annotatione in margine per aliqua verba, quę factū ſignificent,ſub eadem pæna.debeat etiam idem Cancellarius diligenter cuſtodire, ac ſub tuta & fida cuſtodia retinere libros,filzas,& alias ſcripturas quaſcūq; ad eius officiū pertinētes.

Item quòd teneatur ſcribere dictus Cancellarius,requiſitus a quocunq; ordine officiorū cōmunis & magiſtratus cōmunis,omnia & ſingula,quæ ad eorum officia & rem communis ſpectare videntur,gratis & ſine aliqua mercede,præterquam ſalarium, ſub eadem pæna.

Item quòd in alio libro teneatur ſcribere fideliter & in forma omnes & ſingulas accuſationes damnorum datorum,& ſuper eiſdem inquiſitiones dandas,& annotare omnes qualitates neceſſarias & opportunas iuxta formam traditam ī ſtatutis de damnis datis, etiam quod ab accuſatoribus ſpecificatæ non fuerint, quas teneatur Cancellarius accuſatoribus ipſis ad memoriam reducere,& etiam annotare ſententias proferendas,ſub eadem pæna in quolibet prǫmiſſorum totiens quotiens &c.Exceptiones vero & defenſiones producendas diligēter

diligenter inſiſtet,ſub pœna prædicta,& intereſſe reficiat,ſi quid propterea deerit.

Item quod Cancellarius ipſe nullam poſſit recipere propinam pro ſentẽtiis abſolutoriis in damnis dat.etiã a ſponte dantibus,ſcilicet in prima inſtantia,ſub pœna x.duc. Omneſq; accuſas & quaſcunq; damnorũ datorum cuiuſcunq; qualitatis,etiam quod pœna bandimẽ taria deſuper ſit impoſita,ſcribere & annotare etiam debeat in libro præmiſſo & in alio libro criminalium vel aliter,ſub pœna duorum duc.totiens quotiens,&c.

Quod Notarius maleficiorum & Cancellarius conſignent ſuos libros.

STatuimus & ordinamus,quod adueniente die completi officii, tam Notarius maleficiorum,quã Cancellarius cõmunis,conſignent & quilibet eorum conſignet omnes & ſingulos libros per eos tunc vſq; confectos,& alios ſibi conſignatos in eorum officiis,& ad ea pertinentes,ſimiliter filzas exceptionum,literarumq; miſſiuarum & aliarum ſcripturarum & deniq; ſcripturas omnes ad eorum officia pertinentes,tam per eos confectas ,quã eis per prius conſignatas,videlicet D.Syndico generali cõmunis per inuentariũ cum numero cartharum,etiam nõ ſcriptarum,ſub pœna x.duc.in quemlibet eorum,qui de facto ſoluantur, & communi applicentur.

Item & Syndicus præfatus teneatur eodem ordine & modo pręſentes libros , filzas ,& ſcripturas conſignare ſucceſſoribus in prædictis officiis reſpectiue,ſub eadem pœna.

Qui non poſſint in Poteſtatem & Iudicem, Notarium maleficiorum, & Cancellarium eligi.

STatuimus & ordinamus,quod nullus in Poteſtatem & iudicem , ac notariũ maleficiorũ cõmunis Priuerni eligatur,qui ſit ciuis,aut incola Priuerni,ſeu inde oriundus , non eius finitimus,non ſubditus alicui Baroni in prouinciis campaniæ & maritimæ caſtra habenti, non habens agnatos , cognatos,& affines, vſq; in tertium incluſiue gradum in terra Priuerni.Cancellarius vero communis non eligatur,qui ſit finitimus,aut ſubditus alicui Baroni,vt ſup.Alias vero qualitates prohibitas prænarratas habens eligi poſſit in Cancellariũ. Siquis vero contra formam huius ſtatuti electus fuerit,pro non electo reputetur.Præuertentes vero electionem huiuſmodi xx.duc.pœna puniantur.

De Officio Actuarij Banchi Ciuilium.

STatuimus & ordinamus,quod notarius ciuiiium in curia Priuerni ſit notarius legalis & ad notariatus officium canonicè aſſumptus,ſit ciuis Priuernas,ac ſufficiens, approbatus per D.Poteſtatem,quæ approbatio deſcribatur in actis Cancellariæ Priuerni.Caueat prætere a idoneè in principio ſui officii de rectè & fideliter in eo ſe exercendo,pareatq; ſyndicatui quolibet anno in fine iuxta ſyndicatoris ſententiam per DD.officiales eligendi.

Item quod notarius præfatus debeat poſt completum ſuum officium conſignare omnes libros actorum,& filzas banchi ciuilium actuario ſucceſſori ſuo per inuentarium,& in eius defectum Camerario cõmunis,qui ſtatim facta deliberatione,ſeu locatione banchi debeat illos & illas cum ſimili inuentario conſignare dicto actuario ſucceſſori,quæ inuentaria deſcribantur per cancellarium cõmunis in libro magno reformationum,ſub pœna xx.duc. in quamlibet,totiens quotiens præmiſſis & eorum ſingulis fuerit contrauentum.

Item quod notarius præfatus recipiat mercedem pro actis ſecundum tabulam inferius poſitam,& non ſecundum conſuetudinem,ſub pœna xx.duc.& vbi per tabulam præfatam aliquid fortaſſe non erit expreſſum,recurratur ad tabulam Cu.generalis prouinciæ,in quo caſu dimidium recipiat,ſub eadem pœna,& non vltra ipſum dimidium. Si vero in tabula Cu.generalis ſimiliter non inueniatur expreſſum,ſtetur decreto & iudicio D.iudicis & D. ſyndici.

Item quod ipſe notarius quolibet die iuridico debeat adeſſe in tempore, antequam iudex ſedeat ad iura reddendum,in palatio cõmunis,ad pulſandum vel pulſari faciendum cã panam de more,relationeſq; a Mandatario recipiendum,ſub pœna duorum duc.

Item quod notarius pręfatus poſt initum officium non ſubſtituat aliquem loco ſui , niſi admiſſum per iudicem,& vt ſupra approbatũ,ſub pœna x.duc.& ſubſtitutus aliter ad exercendum officium non admittatur.

Item quod accedente iudice ad ſolitum tribunal vt iura reddat,moneat præconem proclamare

clamare ad feneſtras prope banchum iuris verſus plateam cõmunis, iudicem iam ſedere, ſub pœna præfata.

De electione buſſulatorum pro nouo Magiſtratu creando.

STatuimus & ordinamus,quod anno quolibet in die S.Marci euangeliſtæ menſis Aprilis DD.Syndicus & Officiales conuocent concilium publicum generale, ad effectum nouũ Magiſtratum creandi,ſub pœna x.duc.in quemlibet.Quo concilio congregato in palatio cõmunis,eligantur prius electores,quos Buſſulatores vulgus appellat,ſeruato tamen ordine & forma infraſcriptis videlicet.Quod D.officialis primæ portæ campaniæ nominet decem buſſulatores,quos deſcribi faciat per cancellarium cõmunis in cartulis decem ſeparatis,quas æqualiter plicatas,ita quod vna ab altera non differat,ponat Cancellarius in vna Vrna,& poſtea illis primitus reluctatis & cõmotis,extrahatur vnus buſſulator per aliquem puerum,& buſſulator ſic ſorte extractus confirmetur a populo per buſſulam & palluctam vt moris eſt.Si vero per buſſulam huiuſmodi talis buſſulator ſorte approbatus non fuerit, extrahatur pari modo & alia cartula,confirmeturq; talis buſſulator extractus, per buſſulã vt ſupra,& eo forſan reiecto fiat ſic de ſingulis vſquequo vnus confirmetur. Qua confirmatione facta ad obuiandum fraudibus,Cancellarius legat alta voce alias cartulas deſcriptorum buſſulatorum.Qui ſic approbatus & electus buſſulator,in manibus D.Poteſtatis ſolẽne & publicum præſtet iuramentum de fideliter & legaliter ſe gerendo in creatione noui Magiſtratus,dirigendo ſemper mentem ad ea,quæ honorem & beneficium cõmunis concernunt,& de non reuelando nomina officialium creandorum,prece,pretio,amore ,fauore,ira,inuidia,rancore.& alia ſiniſtra machinatione penitus ſemotis. Quo iuramento præſtito ſtatim ĩ cancellariam cõmunis talis buſſulator accedat,nec aliquem alloquatur. Quæ etiam forma & ordo ſeruentur in cęteris buſſulatoribus aliarum portarum eligendis & cõfirmandis.Et buſſulatores ipſi non eligantur ab officialibus præfatis,qui ſint eorum germani fratres,patres,aut filii,vel gerentes officia in palatio cõmunis,ſub pœna duc . quinq; in quemlibet dictorum officialium.

De creatione noui Magiſtratus.

STatuimus & ordinamus,quod ſtatim ſupradicti buſſulatores poſtquã in cameram Cancellariæ vnà cum cancellario cõmunis introducti fuerint,creent vnum ſyndicum & quatuor officiales pro regimine & gubernio terræ & territorii Priuerni.Qui D.Syndicus eligatur de toto populo,non autem ad portas,& eſſe debeat omnino literatus,& non de plebe ruſtica;A cuius munere officii Domini legum doctores quoquomodo excuſari,ſeu ab eo eximi non poſſint,ſub pœna & priuatione inferius poſitis.Officiales vero eligantur ad portas,vnus videl.pro qualibet porta,& eligi & creari poſſint ex qualibet plebe, & quocumq; ciuium genere,dummodo ſint perſonæ prudentes,ex quorum induſtria & experientia cõmunitas & populus Priuerni rectè gubernari & regi ſperetur.Qui DD.Syndicus & officiales ſint pro regimine vnius ſemeſtris.Deinde creent alios ſimiles ſyndicum vnum , & officiales quatuor modo quo ſupra,& ſint pro vno alio ſemeſtri. Creent inſuper pro quolibet ſemeſtri & buſſula,vnum Depoſitarium,& vnum Camerarium cõmunis Priuerni , de plebe vrbana,de toto populo,non autem ad portas,qui ſciant legere.Necnon quatuor Centuriones,vnum videl.pro qualibet porta & ſint de plebe vrbana.Inſuper & quatuor ſuperſtites,aut ſupraſtantes,ſimiliter ad portas & de plebe vrbana vt ſupra, qui ſint de primatibus terræ Priuerni,ſintq; incorruptibiles,ac bonæ vitæ & famæ,oriundi etiã ex terra prædicta & ſinguli eorum poſſideant in bonis ſtabilibus ſummam ad minus ſcutorum trecentorum,aliter eorum electio nulla ſit.Ex quibus DD.ſyndicis,officialibus,& aliis ſupradictis fiant duæ buſſulæ clauſæ in cæra,quæ ſint ſimiles & non diſpares,ſigillatæ in dorſo ſigillo ſolito cõmunis.Et quælibet buſſula contineat vnum ſyndicum,quatuor officiales,vnum Depoſitarium,vnum Camerarium,quatuor Centuriones,& quatuor Superſtites,ſub pœna ducatorum x pro quolibet buſſulatore præmiſſa non obſeruante & eorum ſingula.

Item quod pręmiſſis peractis exeant buſſulatores ipſi de camera Cancellariæ vnà cum cancellario præfato,qui afferat dictas duas buſſulas DD.officialium,eaſq; ponat in Vrna, ſeu vaſe ad id pręparato,& cõmota vrna præfata cum dictis buſſulis introcluſis, præmiſſo ſono

ſono tubæ faciat vnam per manus alicuius pueri inde extrahi,& ſic extractum aperiat,qua aperta deſcribat in libro reformationum nomina DD.ſyndici & officialium,& aliorum in buſſula deſcriptorum,ſub his verbis videlicet.

Al Nome ſia dell'Omnipotente Dio,& della glorioſiſſima ſempre Vergine madre Maria,& di S.Thomaſſo d'Aquino,di queſta magnifica Terra di Piperno protettore & aduocato,& di tutti gli ſanti & ſante di Dio.

Gli infraſcripti ſonno gli noui Sindico & officiali,eletti & deputati dalli SS. buſſulatori, approuati & confirmati dal publico conſeglio,per il gouerno & regimento di queſta magnifica Cõmunita & Terra de Piperno per li ſei meſi proſſimi da venire, da incominciarſi il primo di Maggio proſſimo del preſente anno N.& come ſequita felicemente da finirſi cõ le ſolite facultà,emolumenti,honori & peſi,ſecondo la forma delli ſtatuti.

N. Syndico

Campanina
N. Vfficiale

Poſterula
N. Vfficiale

Romana
N. Vfficiale

Paulina
N. Vfficiale.

N. Depoſitario
N. Camerlengo

N.
N. Centurioni
N.
N.

N.
N.
N. Sopraſtanti.
N.

Et ipſis ſic deſcriptis in libro prędicto,publicet alta voce corã omni populo nomina præfatorum DD.Syndici & Officialium.Qui DD.Syndicus & Officiales, ac alii prænominati ſic educti è prima buſſula, gerant ſuum officium in eorum gradibus per ſex menſes continuos inchoandos a prima die menſis Maii.Altera vero buſſula,quæ in vrna remanſerit ſeruetur in capſa parua buſſularum cõmunis clauſa tribus clauibus,quarum vnã habeat Capitulum S.Mariæ,aliam Prior conuentus S.Thomæ,& reliquam D.Syndicus cõmunis. Et capſula ipſa ſeruetur in ſacriſtia dictæ Eccleſiæ S.Mariæ intra archiuium ſcripturarum dicti cõmunis,& ita retineatur vſq; ad feſtum s.Lucæ euangeliſtæ.Quo die,præmiſſo bando per præconem,nunciantem extractionem & publicationem noui Magiſtratus, afferatur buſſula in palatium,& aperiatur,ac publicetur vt ſupra diximus,Et ſemper in publicationibus pręmiſſis adhibeatur aliquis ſonus muſicalis,in ſignum lætitię & felicis aduentus noui Magiſtratus,& nemo audeat ante publicationem pręfatam publicare nomina officialiũ in dictis buſſulis incluſorum,ſub pœna x.duc.in quemlibet reuelantẽ,vltra pœnã periurii.

Officiales vero,qui declarabuntur,gerant officium per ſex alios menſes incohandos a Cal.menſis Nouembris & in ipſo ſemeſtri ſua gerant officia ſinguli in ſuis gradibus, & debeant omnes DD.Syndici & officiales de regimine prænominati tempore eorum officii cõtinuè incedere induti veſtibus,ac pannis ciuilibus nigris & honoratis a capite vſq; ad pe

dcs,ac

des,ac calciamentis conuenientibus,ſaltem tempore eorum reſidentiæ,& quando in palatio cõmunis verſantur. Et DD. Snydicus ac officiales ipſi ab officio excuſari nõ poſſint, niſi ob cauſas a ſtatuto conceſſas,ſub pœna x.duc.in quemlibet renuentem, totiens quotiens, & vltra penam prædictam nullo modo gaudeant;minuſq; vtantur ſeu fruantur ciuium immunitatibus & priuilegiis,quibus aliis ciues Priuernates potiuntur & gaudent, & in omnibus tamquã forenſes reputentur & habeantur. Salarium vero ipſorum ſit videlicet D Syndici ducatorum ſex.& quorumlibet officialium de regimine,duc.quatuor, eis ſoluendorũ tempore eorum reſidentiæ pro rata.Salarium vero D.Syndici ei ſoluatur de bimeſtri in bimeſtrem pro rata vt ſupra.

Qui non debeant buſſulari.

STatuimus & ordinamus,quod nemo buſſuletur per buſſulatores vt ſupra electos, qui in anno præcedenti idem officium geſſerit,minor xxv.annis,qui non ſit oriundus de terra Priuerni,niſi per decennium continuum ibi traxerit incolatum,& pro ciue reputetur, qui in dicta terra non habeat propriam domum,& prẹter domum non habeat in bonis ſtabilibus ſaltem centum florenos. Non buſſuletur ſpurius,& de legitimo matrimonio non procreatus,grauatus octo filiis,quos domi retineat,qui ceſſit bonis ſuis, conuictus in iudicio de falſo,interueniens alicui Baroni,contumax curiæ Priuerni,agnatus ſeu cognatus vel affinis buſſulatorum vſq; ad ſecundum gradum de iure canonico incluſiue, & ſeptuagenarius;inſuper & habẽs litem,tam actiue,quàm paſſiue,& tam principaliter, quã procuratorio nomine contra cõmunitatem Priuerni,neq; affinis,ſeu conſanguineus vſq; in ſecundũ gradum incluſiue,alicuius litem habentis cum cõmunitate prædicta,ſub pœna xxv. ducat. in quemlibet büſſulantem,pro vna quarta parte accuſatori & pro aliis partibus cõmuni Priuerni applicandorum & de facto ſoluendorum.

De officio DD. Syndici,& officialium.

STatuimus & ordinamus,quod D D.officiales prædicti poſtquam erunt declarati vt ſup. & antequam eorum officium incipiant,debeant eligere alios ad infraſcripta gerenda, videlicet Octo viros campi,duos ſcilicet pro qualibet porta quatuor viſores, vnũ pro porta, ſuper æſtimandis damnis datis,quatuor viarios,quatuor cuſtodes caſtanearum ſeu cloccarum etiam ad portas,ac ſexdecim alios cuſtodes campi ſuper damnis datis, quatuor videl. pro qualibet porta,qui omnes prænominati eligãtur de plebe ruſtica. Inſuper eligant præfati DD.Syndicus & officiales quatuor Pacerios ad portas & de plebe vrbana:Curent prætera ipſi DD officiales,poſtquam præfati electi ad ſua officia deſcripti fuerint per Cancellarium cõmunis in libro reformationum,vocari facere eoſdem per mandatarium ad iurandum officium ſuũ rectè per eos gerẽdum,ante Kal.Maias & Nouembreis reſpectiuè in manibus Cancellarii prædicti;Officiales autem,qui ita non curauerint, puniantur in xx. ducat. Electi vero iurare recuſantes puniantur pœna duc.v.pro quolibet,& nihilominus cogãtur aliis adiectis pœnis ad officium gerendum in ſuis gradibus,ſaluis ſemper legitimis exceptionibus ſuper præmiſſis allegandis.

Item quod præfati DD.Syndicus & officiales teneantur & debeant in principio ſui officii & ante tranſactos primos decem dies,eligere & nominare quadraginta ciues Priuerni in conſilium,decem videlicet pro qualibet porta,quorum medietas ſit de plebe vrbana, & alia medietas de plebe ruſtica eorum arbitrio. Quos ſtudeant eligere virtuoſos, & non ſcãdaloſos,neque rixoſos,neque infames,neque ſpurios,non minores xxv.annis, non patrem & filium,neque duos fratres germanos,& quatenus ipſis DD.ſyndico & officialibus videatur tantum numerum in aliqua porta non exiſtere,poſſint illos deficientes in aliis portis eligere vſque ad numerum prænarratum. Qui ſic electi faciant concilium nuncupatum il conſiglio minore. Et debeant ipſi conſiliarii poſtquam vocati fuerint,ſeu per mandatarium voce,ſeu per publicum bandum,accedere ad concilium hora competenti pro negociis & rebus cõmunis pertractandis & deliberañ.niſi legitime excuſentur, ſub pœna vnius carleni pro quolibet. Et nihilominus ſi omnes dicti conſiliarii non acceſſerint, vigintiquinque ex eis ad minus præſentes faciant & repræſentent plenum concilium,& totam cõmunitatem Priuerni in omnibus deliberationibus ab eis faciendis. Poſſint autem DD.ſyndicus & offi-

ciales ſucceſſores in eorum ſemeſtribus,quando conſiliarios præfatos eligere voluerint,cō firmare tam conſiliarios a prçceſſoribus officialibus electos,quā alios de nouo eligere eorū arbitrio.In quo minori concilio debeant ac poſſint & valeant omnia negocia cōmunis occurrentia proponere DD.Syndicus & officiales;Prçterquam venditiones & alienationes perpetuas quorumcunq; bonorum & introituum communis etiam modici momenti. Nec non locationes & affictus,aut fructuum & introituum,venditiones vltra triennium,Cōfirmationeſq; buſſulatorum pro nouis Magiſtratibus creādis,impoſitiones & collectas etiam datiorum cameralium,& alia negotia magnæ importantiæ arbitrio minoris concilii. Quæ omnia nominatim expreſſa omnino proponere habeant in concilio generali ciuium & populi dictę terræ,ſub pœna duc.xxv.totiens quotiens,&c.

Item quod D.Syndicus,vbi pro ſuis negociis,vel cōis abſuerit,ſubſtituat aliū ex DD. Officialibus loco ſui,cum conſenſu eorundem officialium,ſub pœna x.ducatorum;& vbi officialis etiam abſuerit,teneatur loco ſui alium probum virum,etiam non officialē ſubſtituere,de conſenſu tamen cęterorum DD.Officialium,ſub pœna v.duc.in quemlibet,aliter legitime non excuſetur de eius abſentia.

Item quod DD.Officiales non poſſint quicquam inter ſe deliberare de rebus communis ſine præſentia D.ſyndici generalis eiuſdem,aut ipſius ſubſtituti in eius abſentia. Et quatenus in deliberationibus ipſis eſſet aliqua diſſenſio inter DD.ſyndicum & officiales, tunc deliberatio maioris partis eorum præualeat,& ipſa attendatur.Et vbi D.ſyndicus abſens fuerit,ſi D.Viceſyndicus,aut ſubſtitutus & vnus ex DD officialibus in voto conuenerint, deliberatio eorum præualeat aliis duobus officialibus,& ipſa attendatur. Deliberationes vero aliter factæ nullæ ſint & non exequātur,ſub pœna x.duc.

Item quod in eorum deliberationibus non poſſint aliquid alienare,locare, vel affictare etiam ad modicum tempus,ſine deliberatione minoris concilii ſupradicti, nec aliquid pro ipſorum particularibus negociis impendi facere de pecunia cōmunis,niſi præcedente deliberatione prædicta,ſub eadem pœna,& deliberatio per eos aliter facta ſit nulla, & nihilo minus ſoluant de ſuo proprio.

Item quod pro ſoluendis legitimis debitis communis poſſint abſque concilio deliberare Depoſitario,ſeu Camerario ſatisfactionem dictorum debitorum faciendam.

Item quod ſine concilio prędicto pro quibuſdam accidentibus rem communis tangentibus poſſint deliberare Depoſitario,ſeu Camerario prædictis impenſas faciundas vſque ad quinque ducatos in eorum toto officio.

Item quod pro muneribus mittendis Rectoribus prouinciarum Campaniæ & Maritimę ſeu aliis Prælatis Rom.Cu protectoribus Priuerni,poſſint deliberare ſine concilio vt ſupra vſque ad ſummā duc.quinq; pro qualibet vice,& nō excedant duas vices in eorum officio.

Item quod nullus dictorum DD ſyndici & officialium poſſit aliquid recipere de pecuniis cōmunis & eius prouentibus,ſub pœna xx duc.in quemlibet,& ſtatim cogatur reſtituere Depoſitario,ſeu Camerario,prout eorum officia requirunt,totum quod receperint.

Item quod non poſſint DD.Syndicus& officiales,nec debeant refirmare,aut aliquid deliberare nec aliter in concilio proponere ſuper refirmatione D.Poteſtatis & iudicis, Notarii maleficiorum & cancellarii,niſi modo & forma prout in ſuperioribus ſtatutis de huiuſmodi materia loquētibus reperitur, ſub pœna duc.x pro quolibet.

Item quod non poſſint DD.Syndicus & officiales aliquid inter ſe deliberare contra formam ſtatutorum,aut contra libertatem ciuium,nec propter odium, vel alia de cauſa literas cum ſigillo cōmunis mittere,quę iniuriam alicuius ciuis contineant,ſine voto concilii, ſub pœna xx.duc.pro quolibet,totiens quotiens,&c.

Item quod poſſint præfati DD.Syndicus & officiales facere gratiam de pœnis damnorū datorum,criminalium,& extraordinariorum,videlicet de parte pœnarum ad cōmune prouenientium,& gratioſe deliberare vſque ad tertiam partem earum & non vltra,alias gratia & deliberatio nulla ſit.

Item quod non mittant literas cum ſigillo cōmunis etiam pro negociis cōmunis, ſi illæ prius non fuerint deliberatæ per DD.Syndicum & officiales in reſidentia,ſub pœna duc.x. in quemlibet;Poſſit autem D.Reſidens deliberare ex ſe literas rogatorias & cōmendatitias ciuiū,dūmodo vni ciuium non faueatur,& alius opprimatur,aut iniuriam ex his patiatur.

Item quod quando deſtinantur Oratores ad vrbem,aut alio pro negociis cōmunis,DD.

Syndicus & officiales debeant pro omnibus & ſingulis negociis pertractandis cõſignare & tradere ipſis Oratoribus memorialia concernentia omnia negocia ipſa,quæ ſigillentur ſigil lo cõmunis,& in libro reformationum deſcribantur,& regiſtrentur,ſub pœna vt ſupra.

Item quod DD.Syndicus & officiales præfati debeant in eorum ſemeſtri aſſumere vnum Militem campi Priuernatis ſuper damnis datis,qui vocetur Miles campi,illumque aſſumptum ſeu refirmatum retinere & mutare ad eorum libitum,præcedenti matura eorum de liberatione,ac etiam eum D.Poteſtati præſentare,ſub pœna vt ſupra;qui miles præfatus te neatur quolibet die,& cum opus fuerit,etiam de nocte,ire armatus cum cuſtodibus cõmunis per cuſtodiam campi Priuerni iuxta ordinem ſtatuti de cuſtodibus præfatis loquentis, ſub pœna v.duc.totiens quotiens,&c.

Item quod D.Syndicus & officiales præfati teneãtur,ſub pœna x.duc.in quemlibet, quo libet ſemeſtri eorum officii ad minus,inquirere diligenter ſeruitia Eccleſiarũ, Conuentuũ, ac Monaſterii,necnon Hoſpitalium,tam intra,quàm extra Priuernum poſitarum & poſito rum,nec de diligentia excuſentur,ſi eam non fecerint deſcribi in lib.reformationũ cõis.

Item quod vbi euenerit eos inueniſſe aliquam eccleſiam,ſeu conuentum,vel monaſteriũ deficientem vel deficiens circa ſeruitia in diuinis,& ad ipſas eccleſias,ſeu conuentus fratrũ, vel monaſteria iuxta ipſorum antiquam conſuetudinem,aut obligationem pertinẽtia quo modocunq;,debeant ſub eadem vt ſupra pœna,mittere literas expenſis communis ad ſupe riores ipſarum eccleſiarum,ſuper defectibus præfatorum ſeruitiorum,& ſi neceſſe fuerit pro negligentia prælatorum, mittere ad ſummum Pontificem, cum deliberatione concilii id faciant.

Item ſtatuimus & ordinamus quod quilibet D.officialis & Syndicus,Camerarius,& De poſitarius,ſint liberi ab omni præcepto aliis ciuibus faciundo ad aſſociandum cõmiſſarios, & huic ſimilia,ad ferendũ aliquid pro cõmuni,ſeu portandum, necnon ab omni præcepto viarũ,& curſuũ aquarũ,qñ populariter pręcipitur,& nõ aliter propter priuatum intereſſe.

Item quod teneantur præfati DD.Officiales & Syndicus prima Dominica vltimi mẽſis eorum officii deſtinare & mittere quatuor homines,vnum ſolummodo pro porta, ad reui ſendum terminos confinium campi Priuerni,ſub pœna vt ſupra.

Item quod ita deſtinati quatuor homines debeant accedere ad loca terminorũ omniũ & ſingulorum inter finitimos & campum Priuerni exiſtentium,& referre de eiſdem D. Re ſidenti,quorum relatio in libro reformationum deſcribatur,ſub pœna v. ducatorum pro quolibet,& eorum ſalarium ſit vnius caroleni pro quolibet. Et in caſu reſtitutionis aut re fectionis alicuius termini,teneatur idem D.Reſidens dare ordinem refectioni huiuſmodi intra xv.dies conficieñ ſub pœna vt ſupra.

Item quod omnes & ſinguli DD.Officiales & Syndicus vocati per mandatarium,ſeu ali ter domi admoniti per eundem de commiſſione D.Reſidentis ad certam horam vt conue niant in Cameram reſidentiæ cõmunis,pro negociis communis pertractandis, debeant in tempore adeſſe,ſub pœna v.duc.in quemlibet totiens quotiens ab eis contrafactum fuerit, niſi legitimam excuſationem pro ſe habuerint.

Item quod nullus DD.Officialium nec Syndicus audeat comeſſe in tabernis intra Priuernum,ſub pœna x.carlenorum.

Item quod dicti DD.Syndicus & Officiales ſic vt ſupra honorate induti debeant quolli bet die Dominico & feſto accedere ad palatium D.Poteſtatis & ipſum vocare & aſſociare ad Miſſam audiendam,ſub pœna vnius ducati pro quolibet.

Item quod dictis DD.ſyndico & Officialibus honos & reuerentia a conciuibus præbea tur,& contra eos calumnioſe reſpectu ſui officii non murmuretur,ſub pœna x,duc. & ſi ali quid contra officiales prætendant,porrigant querelas in concilio querelarum.

Item quod DD.Syndicus & Officiales debeant contrarie retinere in palatio communis tot libros,quot ſunt ſolutiones & impoſitiones camerales ſoluendæ. In quibus ſolutiones ipſas per Commiſſarios exactores deſcribere faciant,quos conſignent Depoſitario commu nis,qui de eis curam habeat,& quotiens occurrerit ſolutiones fieri dictis cõmiſſariis & exa ctoribus,teneatur ſolutiones ipſas facere deſcribere in libris ſupradictis,& nullo modo re cipiat apodiſſas,ſub pœna xxv.duc.& damnum emendet communitati. Ad quam pœnam incurrant DD.Syndicus & officiales non curantes dictos libros habere & a Depoſitario retineri.

Qui non debeant eligi ad officia Magiſtratibus inferiora.

STatuimus & ordinamus,quòd ab officio Magiſtratibus inferiori ſit exemptus,& ad illud
non eligatur,qui fuerit in eodem officio intra annum,qui fuerit ſeptuagenarius,qui octo
filios domi retineat de ſuo legitimo matrimonio natos & qui ſit minor xxv.annis;Minuſq;
buſſulatores exiſtentis magiſtratus ad officia cuſtodum eligantur.Deputati vero per DD.
officiales ad aliquod officium contra hoc ſtatutum pro non deputatis habeantur, & officia
les eos eligentes v.ducatorum pœna puniantur.

Quòd nemo plura officia ſimul habeat.

STatuimus & ordinamus,quòd nemo habeat plura officia ſimul eodem tempore in pala-
tio cõmunis,ſub pœna duc.v.tam in conſtituentes,quàm in conſtitutos ad ea,ſi exercue
rint,& officia dimittant,ſub eadem pœna.

De *officio* D. *Syndici generalis communis.*

STatuimus & ordinamus,quòd D.Syndicus generalis communis Priuerni procuret & de
fendat omnes & ſingulas cauſas rem communis concernentes;tam actiuè, quàm paſſiuè,
expenſis quidem cõis,& vbi DD.officiales aliquid decreuerint aut deliberauerint,quod ei
uiſum fuerit non expedire cõmunitati,debeat contra eos proteſtationes formare, cũ ſigni
ficatione damni emergentis, ſub pœna x.duc.totiens quotiens &c.Cauſas vero dicte com-
munis,in quibus ageretur de intereſſe,tam domini Syndici, quàm ſuorum conuinctorum
vſque ad tertium gradum de iure canonico incluſiue,nõ poſſit D. Syndicus procurare nec
defendere,ſed in eis teneantur DD.Officiales alium procuratorem idoneum conſtituere,
ſub pœna x.ducatorum.

Item quod interſit D.Syndicus omnibus conciliis communis,proponendo ex officio ne
ceſſaria,ſub pœna prædicta,ſtetque in præmiſſis peragendis ſemper in tribunali vnà cum
DD.Officialibus,necnon interſit in ſcalis S.Mariæ vnà cum D.Reſidente vigilando pro cõ
muni,vbi licitatione res communis locari,ſeu aliter legitime vendi contigerit, iuxta anti-
quam conſuetudinem,vel ex deliberatione concilii,ſub eadem pœna.

Item quod curet ſtatuta,præſertim ſuper officiis,diligenter obſeruari, ſeu obſeruari fa-
cere,ſub eadem pœna,a qua non excuſetur.niſi præmiſſis proteſtationibus.

Item quod teneatur ſumma cũ diligentia curare ſingulis mẽſibus in ſuo officio ferri ſen
tentias in ſcriptis per D.Iudicem communis,tam ſuper maleficiis, quàm ſuper damnis da
tis,& cæteris extraordinariis,vbi termini in cauſis circa præmiſſa iam elapſi fuerint,ſecun-
dum formam ſtatuti,ſub pœna prædicta,a qua non excuſetur,niſi appareat proteſtationes
contra iudicem ſuper præmiſſis,& diligentia etiam contra eundem ſuper pœna per cũ ſol-
uenda iuxta formam ſtatuti ſuperius poſiti.

Item debeat intereſſe vnà cum D.Poteſtate ſuper examine rei ĩ criminalibus,& in accõ
modando ſententias dam.dat.& criminalium.

Item quòd latis ſententiis rem communis concernentibus,aut perſonarũ corporis affli-
ctiuis,& elapſis fatalibus appellationum,debeat intra triduum executionem pœnarũ pro-
curare,& ſuper pecuniariis pœnis fieri extractum per notarium maleficiorum,& Cancella
rium conſignañ Camerario communis,ſub eadem pœna,ſub qua etiam pœna debeat inte
reſſe præfatis ſententiis proferendis,niſi legitime excuſetur.

De *officio* D. *Reſidentis.*

STatuimus & ordinamus quod vnus ex dominis officialibus continue,durante eorum ſe
meſtri,per ordinem infraſcriptum portarum,debeat reſidere & manere in palatio & ter
ra Priuerni,pro negociis & occurrentiis communis intelligendis & perſcrutandis, & voce
tur D.Reſidens,durante ſuo tempore ſub ordine infraſcripto videlicet. D. Officialis portæ
campaninæ,quæ eſt prima porta,ſit primus Reſidens,deinde D.officialis portæ poſterulæ,
quæ eſt ſecunda porta,poſtea D.Officialis portę Romanæ,quę eſt tertia porta, & ſucceſſi-
ue D.Officialis portæ paulinæ,quæ eſt quarta & vltima porta, officium Reſidentis gerant
gradatim de porta in portam vt ſupra,& eorum officium duret,qualibet vice,per xv. dies

tantum

tantum. Et finito primo circulo, ſeu turno, inuocent alium & continuent ſecundum ordinē prædictum vſque in finem ſemeſtris. A quo officio D. Syndicum immunem eſſe declaramus; & recuſare non poſſint, ſub pœna v. duc. pro qualibet.

Item quòd quilibet D. Reſidens pro tempore iuxta ordinem portarum vt ſupra, & ſecū dum antiquam conſuetudinem, teneatur quolibet die de mane accedere in palatium com munis & ad locum reſidentiæ, ac ſcire & perſcrutari a Cancellario cōmunis, an aliquid pro communitate pertractandum acciderit, ſub pœna duorum duc. totiens quotiens &c. ſub qua etiam pœna Cancellarius reſpondeat, & ipſum informet de occurrentiis communis, quatenus euenerint.

Vbi vero aliquid occurrerit concernens negocia communis, & id per ſe ipſum expedire poterit, ſic expediat, vt nullum damnum communi emergat, ſub pœna vnius ducati, vltra damni refectionem de ſuo. Cum autem per ſe ipſum expedire non poterit, niſi per delibera tionem collegarum, id faciat, & procuret citius vocari DD. Syndicum & Officiales ad certam horam, & conuenientiam temporis, & iuxta per eos legitime deliberata negotium di ligenter exequatur, ſub eadem pœna & damni refectione de ſuo vt ſupra.

Item auditis a Cancellario communis vt ſupra, & adueniente hora iuris, accedat ad tribunal iuris, ibique interſit iuxta D. Iudicem dum iura redduntur, neque diſcedat, niſi finita audientia. Et vbi neceſſarium fuerit mulieribus iuſtitiam miniſtrare, accedat cum præfato D. Iudice ad conſueta loca, in quibus ipſis mulieribus iura miniſtrari ſolēt, ibiq; aſſiſtat donec audientia dimiſſa fuerit, vt ſup. ſub pœna v. carl. totiens quotiens &c.

Item quòd peractis negotiis in palatio communis, D. Reſidens poſſit impune extra pala tium ſtare & manere per terram Priuerni, & non extra, ſub pęna prædicta; ſtudeat aūt quan tum poterit ſe nimis non abſentare a circuitu plateæ & palatii communis, cui D. Reſidenti legitime impedito liceat alium officialem pro ſe ſubſtituere in reſidentia cum licentia tamen D. Poteſtatis.

Item quòd D. Reſidens teneatur intereſſe omnibus & ſingulis denunciationibus, accuſa tionibus, & inquiſitionibus tam in maleficiis quam in dam. dat. & extraordinariis forman dis in curia Priuerni, ſub pęna prædicta.

Item quòd eo die quo reſidentia contigerit nullam operam ſuis & alienis negociis præſtet D. Reſidens, ſub pœna carl. quatuor totiens quotiens. &c.

Item quòd ſi D. Reſidens tempore ſuæ reſidentiæ aliquod damnum paſſus fuerit in cam po Priuerni, poſſit illud repetere emendandum a cuſtodibus communis, quibus eo die cu ſtodia campi contigerit, ſi aliter ab aliquo priuato recuperare nō poterit, ſeruata quidem actione ipſis cuſtodibus contra damnum dantes per modum inquiſitionis, ſtatuto de Viſoribus, & aliis ſuper inquiſitionibus formandis in damnis datis infra poſitis nō obſtañ.

Quòd DD. Syndicus & Officiales proponant in Concilio de Medico, & Magiſtro Grammaticæ.

STatuimus & ordinamus, quòd DD. ſyndicus & Officiales teneantur & debeant in eorū ſingulo ſemeſtri, vbi Medicus tunc procōmunitate conductus non fuerit, proponere in concilio generali & tractare de conducendo medico, aut medicis pro infirmis curādis pro vno anno, aut vltra, prout populus deliberauerit. Et quicquid deſuper deliberatum fuerit, diligenter exequantur, ſub pœna decem duc. in quemlibet eorum.

Item quod pariter teneātur, ſub pœna prædicta in quolibet ſemeſtri vt ſupra, vbi aliquis Magiſter Grammaticæ a communitate conductus non reperiatur, ſimiliter in eodem con cilio generali proponere de conducendo magiſtrum Grammaticæ pro ſcholaribus audien dis & docendis pro vno anno, ſeu vltra, & deliberationes populi omnino exequi, ſub eadē vt ſup. pœna. Et quatenus per collectas ciuium ſalaria Medicorum & Magiſtrorū ſolui con tigerit, a ſolutione collectarum, ſeu datiorum deſuper imponeñ. doctores omnes & quæuis aliæ perſonæ, quātumcunq; exemptæ & priuilegiatæ, nullatenus immunes, aut exēptæ ſint legibus, ſtatutis, & aliis priuilegiis quibuſcunq; nequaquam obſtantibus.

De

De Macello proponendo in Concilio.

STatuimus & ordinamus,quòd dicti DD.Syndicus & Officiales teneantur & debeant ſtatim tempore quadrageſimæ cuiuſlibet anni,ſi prouiſum deſuper non fuerit, proponere in concilio etiam minori,de Macello faciundo ad commodum populi Priuernatis pro vno anno vel vltra,incipiendo in Paſchate Reſurrectionis Domini primo occurren. & deliberata a concilio prædicto omnino exequi,ſub pœna vt ſupra. Delata tamen gabella ſcannaturæ,quæ nullo modo vendi poſſit,vt facilius conductores macelli inueniantur.

De Officio Centurionum.

ATtenden.fruſtra ad capturam reorum Curiam intendere,vbi ſine ciuium auxiliis ſe mouere tentauerit,ſtatuimus & ordinamus,quòd creatis de more quatuor Centurionibus iuxta ordinem portarum,quos capocentos vulgus appellat,debeat ſingulis diebus Dominicis & feſtis,ſaltem eorum duo,adeſſe plateæ communis,ſeu eius pertinẽtiis, ad effectũ rumores,ſiqui oriantur in ciuibus,reparandi,ſub pœna x.carl.in quemlibet deficientem,& ad tollendum eorum querelas,partiantur inter ſe vices ſuper huiuſmodi ordine,aliter non excuſentur a pœna,qui ex eis non aderint vt ſupra.Vbi verò partiti fuerint vices vt præmittitur,is ſolus pendat pœnam,qui ſuam vicem non geſſerit Centurio.

Item quòd durante eorum officio ſemper vigilent in fauorem Curiæ præſtando, & compareant die Dominica coram D.Poteſtate,& ei offerant eorum officium,& ad id eſſe ſe paratos, quod fauorem curiæ concernat,præmiſſaq; facere debeant,ſub pœna vt ſupra. a qua non excuſentur,niſi ex eiſdem duo ſaltem comparuerunt & fecerint vt præmittitur.

Item quòd in eorum officio poſſint impune ferre arma,tam offenſiua,quàm defenſiua intra & extra Priuernum & eius diſtrictum.

Item ſint exempti ab omnibus datiis,ſeu collectis pro communi imponendis & eius commodum concernentibus,in his vero quæ principis cõmodum concernunt,nullo modo ſint exempti.

Item quòd poſſint præcipere hominibus de ſua porta reſpectiuè,tam per mandatarium, quàm ore proprio,vt capiant arma,& cum eis accedant quo fuerint iuſſi, ſub certa pœna, quæ non excedat carlenos quinq;,eaque applicetur communi & accuſatori.

Item quod moniti a Curia in eius fauorem adeſſe cum armis,ſaltem eorum duo adſint cum poſſibili numero armatorũ iuxta ordinem ipſius curiæ,ſub pœna v.duc. in quemlibet; & ſi ex eis vnus ſolummodo aderit armatus,& monita paratus adimplere etiam cum aliis de ſua porta,excuſetur a pœna,& ſic ſolus ſequatur curiam cum ſuis,& vocati contumaces puniantur vt ſupra.

Item quod Centuriones nullo modo cogantur ad capturam delinquentium ſe ingerere, ſed ſic debeant adeſſe Curiæ,vt auxilium ei præbeant,& fauorem preſtent.Vbi vero impediretur ab aliis,reo ſeu delinquenti auxilium ſeu fauorem dare adnitentibus, ſeu reis ipſis cõtra Cu. reſiſtentibus,in his caſibus teneantur & capere reos,& alios reis ipſis auxilium & fauorem preſtantes,& captos in carcerem ducere,ſub pœna duc.xx.dũmodo capturis præmiſſis curia interſit.

Item quod Centuriones & eorum quilibet habeant auctoritatem in rixis capere rixantes,eoſq; retinere ad effectum pacis componendæ,quæ pax ſi ſubſecuta fuerit,habeatur firma & legitima,propter quod nullus proceſſus in rixantes ipſos formetur,& ſi formabitur, ſit ipſo iure nullus,dummodo delinquentes & rixantes non ita deliquerint,vt venirẽt puniendi pœna corporis afflictiua,ſeu vltra quinq; ducatos,in quibus caſibus etiam poſt pacem compoſitam,procedatur per Curiam ſeruatis ſeruan.

De officio octo virorum Campi.

RAtionabile quidem erit,quod ei diligentius curam adhibeamus,ex quo maius commodum ad viuendum habemus.Hinc eſt quod ex antiqua cõſuetudine,Creatis octo viris pro reparatione campi,qui nobis alimenta quotannis affert abundè,ampliorem poteſtatem tradere conemur.Quare ſtatuimus & ordinamus,quod octo viri prædicti poſſint imponere pœnas in ea omnia & ſingula,quæ ad reparationem campi Priuernatis ſpectare videbuntur.

debuntur,dummodo ipſæ pœnæ imponendæ,vt præmittitur,non excedant carl.quinque in quemlibet contumacem.

Item quòd octo viri prædicti debeant eligere notarium pro ſeruitio eorum officii,qui de ſcribat mandata,ſeu ordines facieñ.circa campi reparationem,contumaceſq; annotare in libro ad hoc conficiendo per eundem,cuius ſalarium ſit carl.v.pro quolibet ſemeſtri, ſoluẽdorum per Camerariũ de pecunia cõis intra menſem a die initi officii,cum vno quinterno chartæ papireę pro libro prædicto,ſub pœna duorum ducatorum.

Item quod eorum banda & edicta per Mandatarium præconizata in locis ſolitis obſeruẽtur a ciuibus ſuper reparatione campi,& aquarum curſibus,dummodo pœna impoſita non excedat ſummam vt ſupra carl.quinque.

Item quòd vbi euenerit differentia aliqua inter ciues ſuper foſſis,ſeu cauatis,aut viis vicinalibus in territorio Priuerni,ſtetur iudicio ipſorum,ſeu maioris partis eorum.

Item quòd octo viri prædicti teneantur & debeant quolibet anno,ſi concilio videbitur, curare,vt congruis temporibus dimittantur bubali ad purgãdam cauatam de ſandalis, ſub pœna duorum duc.in quemlibet ipſorum,& domini bubalorum debeant eos requiſiti ad hunc effectum non denegare,ſub eadem pœna;Addito quòd ſi aliquis bubalus in huiuſmodi ſeruitio perierit,vt ſolet ſæpius euenire,ſoluatur eius domino pretium de pecunia communis iuxta communem æſtimationem.

Item quod quibuſlibet tribus annis de menſe Auguſti debeant purgari facere flumen Amaſenum omnibus impedimentis & arboribus a latere & ripa noſtri territorii, requiſitis quidem per eos ſeu eorũ ordinem Somninenſibus, ad id faciẽdum ab ipſorum territorii ripa,quibus renitentibus,nec ipſi aliter octo viri purgari faciant vt ſupra flumen;deficientes vero in præmiſſis & in eis negligentes octo præfati viri puniantur pœna vt ſupra, & purgatio ipſius fluminis incipiat a Columnella ſtortorii vt dicitur vſque ad vadum ruptum,continuata purgatione,aut de pecunia cõmunis,aut ad præceptum dictorum octo virorum,prout eis videbitur magis expedire.

Item quod purgari faciant Mazzocchium & cauatam de medio in agriciilis quibuslibet tribus annis,ſeu de pecunia communis,ſeu aliter vt ſupra,ſub eadem pœna,videlicet quando cõcilio videbitur,& id de menſe Auguſti.

Item purgari & effodi procurent,ſi neceſſe fuerit,quolibet anno de menſe Septembris flumicellum turris deloſo,foſſam,ſeu cauatam Sandalarię, omneſque alias & ſingulas cauatas de curſu exiſtentes,tam in campo de loſo,quàm in campo de caſa,ab his qui iuxta eas, vel eos habuerint poſſeſſiones,& vlterius ab his qui in quamlibet cauatã ex prædictis exaquantur per ſuas alias cauatas,& ad præmiſſas purgationes ſeu effoſiones poſſit cogi per prædictos octo viros,tam dominus poſſeſſionis,quàm colonus illius,qualibet via ibidẽ exiſtente ſeu mediante non obſtante,dummodo in cauatas groſſas antedictas exaquauerint. Qui octo viri præmiſſa teneantur adimplere,ſub eadem vt ſupra pœna. Declarantes quod dimidium operis primo teneantur perficere ij,qui poſſeſſiones habent adhærẽtes, Reliquũ exaquatores ſuperiores, iuxta diſpoſitionem & ordinem prædictorum octo virorum. Qui octo viri prædicti contumaces repræſentẽt curiæ puniendos in omnibus & ſingulis eorum iuſſis & ordinibus,ſub eadem pœna,qua iuſſus contumax teneretur.

Item purgari procurent per locatarium ſeu conductorem capitis caballi ipſius cauatam anno quolibet de menſe Auguſti,ſub eadem pœna.

Item quod teneantur de præfato mẽſe quolibet anno remarginari facere ripam fluminis Paulini inter Priuernates & Terracineñ. & foſſi, ac in ea congruum telluris tumulum iuxta neceſſaria in præmiſſis aggetari,& refici de pecunia communis,aut aliter ad præceptũ, ſub eadem pœna.

Item teneantur menſe quolibet reuiſere ripam fluminis Amaſeni,a Columnella ſtortorii vſque ad vadum ruptum,& reuiſendo ſi quid innuerint reparatione indigere,curent intra octo dies diligenter reparari,ſub eadem pœna vt ſupra.

Item quod DD.Syndicus & Officiales communis ad requiſitionem ipſorum octo virorum teneantur prouidere de pecunia neceſſaria in præmiſſis & circa ea implenda congruis temporibus ex prouentibus cõmunis,aut ex collectis imponendis,necnon cum opus fuerit literas ipſius cõis nomine mittere ad finitimos ſimiliter expenſis cõmunis & congruis temporibus,ſub pœna duorum duc.in quemlibet.

De

De officio Depoſitarij.

STatuimus & ordinamus, quòd Depoſitarius debeat recipere & recipiat omnes & ſingulos fructus ad Communitatem ſpectantes & pertinentes de ipſius redditibus, necnõ ſummas pecuniarum ſuper locationibus rerum & bonorum communis quorumcunq;, ac impoſitionum & collectarum a conductoribus & collectoribus reſp. eidem conſignandas, & nõ alicui ex officialibus, ſub pœna v. duc. in quemlibet non conſignantem: & ſi Depoſitarius requiſitus recipere renuerit, eadem pœna puniatur, & nihilominus acrioribus pœnis ad receptionem cogatur.

Item quòd quilibet conductor debeat ſaltem intra decem dies a die deliberationis ſibi factæ, & deliberatæ locationis ſoluere vt ſupra integrum pretium rei a ſe conductæ, ſub pœna dupli pretii ipſius, & amiſſionis lucri per ſe acquiſiti in licitatione, ſiquid forte acquiſiuerit, & nihilominus cogatur per curiam aliis opportunis remediis, dummodo in licitatione rei a ſe conductæ breuiores aut longiores ſolutiones ſeu temporaneæ non ſint appoſitæ, in quo caſu conditiones appoſitæ obſeruentur.

Item quòd Depoſitarius debeat recipere omnes & ſingulos cenſus communi portandos ſuis temporibus, & ita adeſſe in tempore, vt recipiat, ſub pœna duorum duc.

Item quòd de fructibus, ſeu redditibus communis, quos receperit, ſic etiam de pecuniarũ ſummis quibuſcunq;, nihil diſpenſet ſine deliberatione officialium, præterquam in ſolutionibus ordinariis, iuxta formam ſtatuti, & ad ſuum officium pertinentibus, ſub pœna dupli rei aliter diſpenſatæ, & per ſe diſtractæ, applicañ. ipſo facto communi.

Item quòd Depoſitarius procuret omni diligentia adhibita exigi per collectores omnes & ſingulas impoſitiones, collectas, & datia quæcunq; per officiales, ſeu per concilium, aut aliter impoſitas & impoſita, intra xx. dies a die Impoſitionis huiuſmodi, ſub pœna duorum duc. nec excuſetur, niſi appareat legitima prouiſio ĩ caſu per ſe facta cũ curia cõtra collectores, & nihilominus ſemper inſtet pœnalib⁹ præceptis, donec exacta integre ad ſuas manus peruenerint. Et in fine ſui officii debeat exegiſſe omnia credita cõmunis quæ fuerint liquida & non litigioſa, alias ſi fuerit negligens in exigendo, debeat ſoluere nouo Depoſitario de ſuo, & habeat actionem contra debitores communitatis.

Item quod debeat habere vnum libellum de pecunia communis emendum in principio ſui officii, & ibi deſcribi facere omnem introitum & exitum ſeparatim, vt moris eſt, dicti cõmunis, manu Cancellarii cum annotationibus diei, menſis, & anni, in qualibet poſitione, Similiter exprimere quod recipit & a quo, ac pariter illud quod ſoluit & cui, ac pro qua re & cauſa, prouocando ſemper in ſolutionibus diem, menſem, & annum, atque materiam deliberationis ſibi factæ, per DD. Officiales, vbi fieri ita contigerit, in libro reformationũ, ſeu negociorũ cõmunis Priuerni, ſub pœna duorum duc. totiens quotiens aliter fecerit.

Item quod Depoſitarius debeat deſcribi, ſeu notari facere introitum & exitum vt præmittitur in ſuo libro per ſingulas poſitiones mõ & forma prædictis intra ſingulos tres dies poſt receptionem, & ſolutionem reſpectiuè a Cancellario cõmunis, & non aliquo alio, ſub pœna duorum duc. pro qualibet poſitione aliter ſcripta in ſuo libro, ſub qua quidem pœna teneatur Cancellarius præfatus deſcribere poſitiones ipſas modo & forma præmiſſis, totiẽs quotiens intra tres dies vt ſupra ab ipſo Depoſitario fuerit requiſitus. Quibus ſingulis tribus diebus elapſis, & non deſcriptis neque notatis in tempore materiis, quæ iam deſcribendæ fuerant, dictus cancellarius non audeat ſine mandato & ordine D. Poteſtatis eas aliter ex ſe ſcribere, ſub eadem pœna.

Item quod Cancellarius nihil in exitu deſcribat in libro Depoſitarii, niſi præſente & iurante eo, cui dedit, ſi Priuerni habitauerit, ſimiliter & eorum præſentias deſcribat, necnon caſſet deliberationes factas in libro reformationum ſuper huiuſmodi ſolutionibus, & in earum margine deſcribat hæc verba videlicet. Caſſa quia ſoluit N. Depoſitario prout in ſuo libro, ſub pœna duorum duc. auferendorum de ſuo ſalario.

Item quod in omnibus & ſingulis ſolutionibus faciendis, tam ordinariis, quàm non, excedentibus tamen quinq; ducatos, nihil ſoluat idem Depoſitarius ſine præſentia D. Syndici generalis, vel D. Reſidentis, ſub pœna duorum duc. tam in eum, quàm in D. Syndicũ & D. Reſidentem intereſſe renitẽtes. & ſolutum aliter ſine præſentia vt ſupra, intelligatur de ſuo proprio & non de re cõmunis, ſic etiam ſi contra eum aliquo modo idem D. ſyndicus vel

D. Re-

D.Reſidens proteſtati fuerint de ſolutione tunc nō faciunda,intelligatur facta de ſuo ſi ſol uerit antequam proteſtatio reſcindatur.

Item quod Depoſitarius ſoluturus aliquid D.Poteſtati vel iudici pro ſuis ſalariis iuxta formam ſtatuti debeat antequam ſoluat proponere D.Syndico,ſeu D.Reſidenti qui intererit,ſi ex illa tunc ſolutione debeat aliquid detrahi aliquo modo,ſub pœna duorum duc.

Item quod in ſolutionibus D.Poteſtati & Iudici faciendis iuxta formam ſtatuti debeat ſibi retinere Depoſitarius pro communi quicquid idem D.Poteſtas eſt ſoluturus pro taxis breuium & aliis deducendis,& ſi aliter fecerit Depoſitarius,eadē vt ſupra pœna puniatur, & de ſuo intelligatur ſoluiſſe.

Item quod vbi euenerint fiſci ſolutiones,ex quibus requiratur etiam fieri quietantia de receptis propria manu recipientium,aut aliter per contractum , curet idem Depoſitarius quietantiam,ſeu inſtrumentum contractus huiuſmodi deſcribi in proprio libro ad hoc deputato,& in principio ſui officii ei conſignando per præcedentem Depoſitarium, ſeu DD. Officiales,& non in foliis ſolutis per modum chirographi,ſub pœna duorum duc. Et nihilominus ſolutum aliter quàm vt præmittitur intelligatur ſolutum de ſuo proprio,& non de re communis.

Item quod vbi euenerit aliqua neceſſitas communi,aliquid ſoluendi,ſeu aliter impendē di,& requiſitus Depoſitarius a D Reſidente dixerit ſe non habere de pecunia cōmunis in ſuis manibus;& in ſuo libro ſcripta,& per ſe recepta,non cogatur aliter nec moleſtetur de his quæ non retinet,aut non receperit,niſi forte euenerit ex ſua negligentia non recepiſſe, & librum oſtendat ad libitum DD Officialium;Sed ſi inuentus fuerit habere & retinere de pecunia communis & negauerit vt ſupra,tunc cogatur ad reſtitutionē damni & intereſſe, quod communi propterea tulerit,& puniatur pœna dupli.

Item quod vbi Depoſitarius omiſerit aliquam poſitionem de receptis,quæ in libro non appareat ſcripta manu Cancellarii,ſi fuerit eius ſumma infra x.carlenos,pœna dupli puniatur,& ſi fuerit vltra decem carl,vſq; ad xx.pœna tripli puniatur;Si vero fuerit a xx carl & ſupra vſque ad quamcunq; ſummam,pœna quadrupli puniatur , præter reſtitutionem veræ ſummæ in omnibus præmiſſis.Et quatenus de dolo & fraude conuinceretur,tam in omittē do vt ſupra,quam aliter,pœna ſeptupli puniatur.Et ſi non habuerit in bonis,relegetur arbitrio concilii,& electores buſſulatores reficiant damnum communitati.

Item quod Depoſitarius teneatur intra quatuor dies poſt completum eius officium conſignare & tradere nouo creato Depoſitario quicquid habuerit de rebus & pecuniis cōmunis,vnà cum libello in quo continentur quietantiæ & receptiones ſcripta manu propria recipientium;Et Cancellarius requiſitus conſignatum libellum cum cartharum numero.& bona ac pecunias conſignatas vt ſupra deſcribat in libro introitus,& exitus communis per nouum Depoſitarium faciundo,ſeruatis modo & forma ſuperius in aliis capitulis deſcriptis in præſenti ſtatuto de deſcriptione & annotatione loquētibus in receptis per Depoſitariū.

Item quod pro ſalario Depoſitarii ſoluantur ei tres ducati de pecunia cōmunis per ſuas proprias manus,deſcribiq; eas faciat vt ſupra,ſeruatis ſeruandis,ſub pœna duorum duc. & ſalarium reſtituat,

De officio Camerarij.

STatuimus & ordinamus,quod Camerarius communis teneatur & debeat facere vnum librum ſimilem de introitu & exitu communis ad ſuum officium ſpectantibus prout de Depoſitario dictum fuit,in quo libro deſcribi faciat intra ſingulos tres dies poſt receptionem & ſolutionem,quæ occurrerint pro communi,ſeruatis eiſdem ordine & forma vt diximus in officio Depoſitarii,ſub pœnis ibi expreſſis,circa omiſſione partitarum, ac dolum & fraudem,quatenus de illis conuincatur,& Cancellarius etiam ſcribere teneatur pro Camerario eodem modo & forma,& ſub eiſdem pœnis,quemadmodum pro depoſitario ordinauimus.Poſſit tamen abſq; deliberatione,ſeu præſentia DD.Syndici & Officialium qualcūque impenſas pro communitate occurrentes facere ad minutum vſque ad ſummam carl. quatuor incluſiue,dummodo dictas impenſas in dicto termino deſcribi faciat in ſuo libro per cancellarium,cum præſentia D.Syndici,vel Reſidentis. Vltra vero dictam ſum mam ſine deliberatione DD.Officialium quicquam impendere nō poſſit,præter ea quæ a ſtatutis

ei permittuntur, alias de ſuo ſoluiſſe intelligatur in omnibus præmiſſis.

Item quod Camerarius communis intra x. ſaltem dies poſt habitum in ſuis manibus extractum ſuper condemnationibus pecuniariis, tam de maleficiis, quam de damnis datis, debeat executiones procurare. ſub pœna duorum duc. pro qualibet executione omiſſa, & ſoluat nihilominus in eo caſu de ſua pecunia, ſeruata quidem ei actione in reum qui non ſoluerit, dummodo is Camerarius excuſationem legitimam non habuerit contra militem nõ exequentem; in quo caſu excuſetur ſi aduerſus militem ſuas proteſtationes fecerit, & eas in actis deſcribi curauerit.

Item quod Camerarius communis teneatur & debeat de pecunia communis & abſque deliberatione aliqua DD. Officialiũ emere & offerre ac præbere, ſeu offerri facere per Mandatarium communis Cæreos infraſcriptos Eccleſiis, & Cõfraternitatibus ſingulis infraſcriptis in eorum feſtiuitatibus videlicet. Eccleſiæ collegiatæ Beatæ Mariæ Maioris Terræ Priuerni, videlicet in feſto Annunciationis eiuſdem beatæ Mariæ duos cæreos, quorum ſinguli ſint ponderis librarum triũ. Item eccleſiæ prædictæ & illius capitulo in feſto Aſſumptionis eiuſdem beatæ Virginis Mariæ alios duos cæreos ponderis vt ſupra. Confraternitatis ſanctiſſimi Sacramenti dictæ terræ libras x. cæræ laboratæ in feſto eiuſdem S. Sacramenti.

Eccleſiæ beatæ Mariæ de libera extra Priuernum in feſto præſentationis eiuſdem glorioſę Virginis alias lib. quinque cæræ laboratæ. Eccleſiæ & conuentui S. Thomæ de quinó extra terram Priuerni in feſto eiuſdem S. Thomæ lib. quinq; ſimiliter cæræ laboratæ.

Eccleſiæ & conuentui S. Laurentii extra Priuernum in feſto eiuſdem s. Laurẽtii alias lib. quinque cæræ laboratæ. Eccleſiæ s. Franciſci extra Priuernum in feſto eiuſdem s. Franciſci lib. quinq; cæræ laboratæ. Monaſterio monialium s. Claræ de Priuerno in feſto eiuſdem s. Claræ alias libr. quinq; cæræ laboratæ. Eccleſiis parochialibus s. Benedicti, s. Nicolai, s. Luciæ, s. Chriſtophori, & s. Ioannis dictæ terræ, ac eorum ſingulis in feſtiuitatibus dictorum ſanctorum cæreum vnum ponderis vnius librę cum dimidia. Eccleſiæ s. ſpiritus extra Priuernum in feſto ſuo alium cæreum eiuſdem ponderis. Eccleſiæ s. Antonii extra Priuernum in feſto ſuo alium cæreum eiuſdem ponderis. Quibuſlibet Confraternitatibus aliis dictę terræ libras duas cæræ laboratę pro qualibet in ſuis feſtiuitatibus.

Qui cęrei antedicti imprimantur ſigillo communis in dorſo & ita offerantur.

Item debeat Camerarius antedictus de ſimili pecunia & abſque alia deliberatione vt ſupra, tradere & conſignare intra primũ menſem ſui officii in quolibet ſemeſtri ſingulis DD. Syndico & Officialibus cæreum vnum ponderis libras duarum, ſub pœna duorum duc. & ſi pecunias non habuerit, debeat illas ab officialibus petere.

Item quod intra quatuor dies poſt receptionem pœnarum pecuniariarum debeat dare & cum effectu ſimiliter in numerata pecunia ab eo recepta conſignare ſuã partem cuilibet illorum, ad quos ſecundum ſtatutariam diſtributionem legitime ſpectauerint, ſub pœna duorum duc.

Item quod vbi pro pecunia per reum ſoluenda aliquod pignus tradi contigerit, teneatur & debeat Camerarius illud diligenter cuſtodire & conſeruare in ſua camera in palatio cũ nomine inſcripto rei pignorati, nec illud aliter alienare, ſeu in ſolutũ dare alicui, ſed intra menſem tribus diebus feſtiuis diuerſis ſubhaſtari facere, plus offerenti deliberandum, atque rationem de eo in ſuo libro reddere, pecuniamque ſuperantem pignorato intra triduũ poſtea conſignare, ſub pœna duorum duc. totiens quotiens in præmiſſis contrauentum fuerit. Pignora vero pretioſa poſſit, vt tutius cuſtodiantur, transferre in ſuam domum conſeruanda, dummodo eis non vtatur, nec aliis vti permittat.

Item quod intra primam horam noctis quolibet veſperi teneatur accendere, ſeu accendi facere lampadem ſolitam in palatio, oleo ad id ſufficienti pro tota nocte plenam, Ad honorem Dei & glorioſæ ſemperque Virgini Mariæ, & funiculum ipſius lampadis ſemper tenere clauſum claue vt hactenus conſuetum fuit, ſub pœna duorum duc. totiens quotiens.

Item ſi Camerarius omiſerit aliquam poſitionem de receptis deſcribi in ſuo libro, aut aliter per eam forſan deſcriptam fraudem cõmiſerit, puniantur eiſdem pœnis, quibus diximus puniendum expoſitarum in ſimilibus, reddendo ſingula ſingulis.

Item quod liceat impune Camerario colligere, ſeu colligi facere de malis aureis in foro vel platea communis exiſtentibus pro aliqua honeſta & rationabili cauſa per D. Reſidẽtem

ſtatim

ſtatim iudicanda,dummodo lecta mala non ſint ad commodum & vſum ſuum, ſeu ipſius D.Reſidentis.

Item quod teneatur omnes & ſingulos fideiuſſores pro intereſſe curiæ obligandos,quos idoneos cognouerit,recipere,ſub pœna x.duc.& quos ſemel approbauerit non valeat permutare,ac in euentum quod non eſſent ſoluendo approbati per eum,ſibi imputetur, & ſoluat de ſuo,& in his ſibi caueat,quoniam de ſuo periculo agitur.

Item quod Camerarius teneatur procurare lectum & ſupellectilia pro D.Poteſtate, Notario maleficiorum,& Cancellario de ipſorum pecunia,ad pœnam duorum duc.& in his nullus ciuis grauamini ſubiaceat,niſi ſolitus fuerit ea aliis locare,quæ domi retineat,ad vſũ locationis,in quo caſu poſſit cogi media ſolita mercede ad præſtandũ per viam præcepti.

Item quod vbi Camerarius receperit aliquam pœnam de facto ſoluendam, illam nõ audeat recipere ſine ſpeciali deſcriptione in actis curię ipſius pecunię,& pro qua cauſa, & cũ aliis conditionibus vt ſupra,præſente D.Reſidente,ſub pœna commiſſæ fraudis.

Item quod intra tres dies poſt completum eius officium tradat & cum effectu conſignet omnes & ſingulas pecuniarum ſummas nouo creato Camerario deſcribendas in ſuo libro ante omnia per Cancellarium modo & forma vt ſupra dictum fuit de Depoſitario, & ſub eadem pœna,necnon etiam bona,ſi qua ſint,mobilia dicti communis,ac pignora debitorũ communis eidem conſignet per modum inuentarii ſimiliter per Cancellarium in libro reformationum ſcribendi.

Item quod ſimiliter ante completum eius officium teneatur camerarius præfatus exegiſſe in pecunia, aut ſaltẽ captis pignoribus omnia credita,ſeu pœnas cõmunis ad ſuum officium ſpectantia & ſpectantes,ac expediuiſſe omnia & ſingula pignora in ſuas manus peruẽta occaſione ſui officii,illaque ſubhaſtari feciſſe modo & forma præmiſſis, ſi ſua tempora lapſa fuerint;& conſignare cum effectu cuilibet ſuam partem,iuxta formam ſtatutorum intra dictum tempus ex his quæ exigentur.Pignora vero quorum tempus ſubhaſtandi nõ venerit,teneatur finito ſuo officio conſignare intra dictum tempus ſucceſſori camerario cum præſentia D.Syndici,ſeu D.Reſidentis,ad pœnam x.duc.& ſi in pręmiſſis negligens fuerit vltra pœnam prædictam ſoluat de ſuo proprio,ſalua ei actione cõtra debitores quoslibet.

Item quod Camerarius præfatus teneatur de pecunia communis emere & habere, ac retinere penes ſe omnia pondera & menſuras,cum quibus poſſint adæquari pondera & menſuræ macellariorum & ſalſamentariorum,ac omnium aliorum vendentium ad pondera & menſuras,videlicet libram,ſemilibram,duas libras,tres libras,quinq; libras, & decenã, ferreas adęquatas ponderibus Romanis. Item quartam cum ſolito ſigno communis. Item bucale,ſemibucale,& fogliettam æneam,tam pro vino,quam pro oleo vendendis,capacitatis iuxta diſpoſitionem concilii;& pondera,ſeu menſuras ruptas,ſeu conſumptas debeat renouare ſumptibus cõmunis,& ſi in præmiſſis defecerit,pœna v.duc.puniatur: Illaſque in fine ſui officii conſignare ſucceſſori ſuo Camerario.Necnon teneatur curam habere & facere inuentarium omnium bonorum mobilium & ſupellectilium palatii communis,illaq; etiam per inuentarium conſignare DD.Poteſtatibus pro tempore & executoribus prout opus fuerit.& in fine eorum officii illa recipere ab eis comprobando cum dictis inuentariis,alias teneatur de ſuo reficere omnia bona ipſa,quæ defecerint & non curauerit ſibi reſtitui, quæ etiam mobilia teneatur pariter conſignare cum ſuis inuentariis ſucceſſori ſuo camerario.

Item quod ſalarium ipſius Camerari ſit ducatorum trium de pecunia cõmunis,quam ſibi retinere poſſit impune.

De officio Præfectorum pretiis imponendis.

STatuimus & ordinamus,quod quatuor electi & creati Præfecti pretiis imponẽdis rebus, quæ ſub Annona continẽtur,quos quidem ſupraſtantes appellant;qui ſint de plebe vrbana,debeant intra octo dies eorum initii officii reuiſere omnia pondera & menſuras macellariorum,ſalſamentariorũ,omniumq; aliorum vendentium aliquid ad pondus, ſeu menſurã, & quorum tunc exiat fama publica quod aliquid vt ſupra vendant,ſub pœna duorum ducat.in quemlibet eorum,ſub qua etiam pœna bona & bonas,pondera & menſuras,alias approbata & approbatas,ac adæquata & adæquatas ponderibus & menſuris communis Priuerni,eorum dominis dimittãt,non bona vero & non bonas,non æqua & non æquas,con

ferat in palatium coram Prætore,ad effectum vt delinquentes puniantur,& ibi præfata deſtruãtur,ſeu frangantur coram iudice.

Item quòd ſine aliqua mercede debeant requiſiti eodem die quo requiruntur ab aliquo ciue,ſeu incola Priuerni,adæquare &(vt dicunt)adiuſtare,omnia pondera & menſuras ſibi aut eorum cuilibet oblata,& oblatas ad hunc effectum,ad pondera ſolum & menſuras cõmuni Priuerni,in palatio penes Camerarium exiſtẽti adæquataq; & adæquatas vt præmittitur ſignare ſigillo communis quo ad hoc vtuntur Cannæ vero Mercatorum & Agrimenſorum adæquentur mẽſuris deſignatis in columnis,ſeu pilaſtris ſupra ſcalas Eccleſiæ ſanctæ Mariæ,ad pœnam duorum duc.in quemlibet requiſitum & non obſeruantem præmiſſa.

Item quod curent & diligenter inſpiciant quæcunq; comeſtibilia,quæ venalia exhibentur,eſſe bona & ſincera,eiſque iuſta pretia imponant gratis & ſine aliqua mercede, tam ſi ſint ciuium,quàm exterorum,ſub pœna duorum duc.in quemlibet eorum,qui vocatus renuerit,Corrupta vero nullo modo admittant venalia,ſub eadem pœna.

Item quòd nullus ciuis,neq; forenſis audeat Panem,aut Vinum,aut alia omnia comeſtibilia,quæ ſub officio ſuperſtitum comprehendatur,vendere ad minutum in Terra Priuerni & eius diſtrictu ſine pretio per ſupraſtantes impoſito,aut vltra pretium huiuſmodi impoſitum,& niſi cum ponderibus & menſuris iuſtis ſibi adæquatis per ſupraſtantes. & ſigillatis ſigillo communis,ſub pœna vnius ducati qualibet vice.

Item ad euitandum corruptelas,quòd nullus ex dictis præfectis appretiaris vinum cuiuſcunq; perſonæ,audeat aliquid præmii propterea recipere,neq; ibidẽ comedere, nec aliquẽ alium ſecum ducere ad effectum appretiandi,niſi ſint ipſi ſoli præfecti;nec ipſi domini vinorum aliquid ex præmiſſis tradere debeant,ſub pœna vnius duc.pro quolibet ſuperſtite & alio contrauenienti qualibet vice.

Item quòd ad imponenda pretia venalibus præmiſſis interſint ſaltem duo ex ſupraſtantibus vocati & requiſiti,ſub pœna duorum duc.in eorum quemlibet renuentem intereſſe.In fructibus vero veluti Piris,malis,& cæteris huiuſmodi ſufficiat vnus ad pretium imponendum ſine aliorum præſentiis.

Item vbi duo ſupraſtantes pretium impoſuerint alicui ex præmiſſis D.Poteſtas,ac cęteri ſuperſtites,aut alii officiales non audeant illud immutare,ſub pœna duorum duc. in quemlibet,niſi ex rationabili cauſa cognita a D.Poteſtate.

Item quòd in abſentia ſupraſtantium,vbi diligentia fuerit adhibita in quærendo poſſit & debeat D.Reſidens pretium imponere cum vno ſupraſtante,ſi poterit commode haberi eius pręſentia,ſin autem,cum aliquo probo viro per eundem vocato:& non alius, ſub pœna duorum duc.

Item quod nullus audeat exterus vendere aliquid ad pondus, ſeu menſuram ſine dato vel conceſſo ſibi pondere iuſto vel menſura,ſaltem per vnum ex ſupraſtantibus, ſub pœna quatuor carl.Oleum autem vendi poſſit ad arbitrium vendentis,cum menſuris tamen cõmunis ſibi per Camerarium dandis:& pro mercede vſus menſurarum detur aliquid olei arbitrio vendentis in eleemoſinam pro lampade ſanctiſſimi Sacramenti.

Item quod ſupraſtantes præfati ſemel quolibet menſe debeant omnes pariter & vnà reuiſere tabernas,& apothecas,macellariorũ & ſalſamentariorum,atque in illis bona comeſtibilia & pondera,ſeu menſuras inuenta & inuentas recognoſcere,ſub pœna quinque carl in quemlibet deficiẽtem,in tempore inter eos dato,niſi legitime excuſentur. Et vbi aliquid ibi inuenerint pœna dignum,& non admittendum,curent cũ Curia D. Poteſtatis pœnam incurſam ſolui,& corrupta prohiberi,ſub pœna prædicta.

Item quod mercatores pannorum exteri,nullo modo vendãt ſine data ſibi menſura per ſaltem vnum ex ſupraſtantibus,ſub pœna duorum duc.pro qua menſura eidem ſoluant quatrenos quinque, quæ non valeat vltra ſeptem dies.

Item quòd vendentes crocum debeant ſua pondera oſtendere ſupraſtantibus,vel ſaltem ex eis vni,de cuius licentia tunc vendant,& non aliter ſine approbatis ponderibus,ſub pœna quatuor carl.in quemlibet.Siquis vero aliquid donare velit, arbitrio eorum cõceditur.

Item quòd non audeant pondera & menſuras ordinarias communis cuiuſcunque generis augere,vel diminuere,ſine decreto concilii generalis,ſub pœna x duc.in quemlibet eorum contrafacientem,& nihilominus auctio vel diminutio huiuſmõi ſit ipſo iure nulla.

Item

Item quòd in prętium frumento,leguminibus,& bladis imponendũ nullam habeant au ctoritatem,non obſtantibus præmiſſis in genere loquentibus ſuperioribus clauſulis;ſed in his curent DD.Syndicus & Officiales vocari alios quatuor probos viros,vnum ſcilicet pro porta,die Dominica vltima menſis Auguſti,per quemlibet annum,cum quibus habito ma turo conſilio ipſi imponant pretium frumento & aliis præmiſſis leguminibus & bladis,ſub pœna x.duc.in quemlibet eorum,ſi legitime non excuſentur.

Item quòd nullus audeat ordinem dictorum DD.Syndici & officialium,ac quatuor vocatorum præfatorum præuertere in vendendo,aut emendo aliquid ex præmiſſis,ſub pœna x.ducatorum.

Item quod Cępæ,Allia,Cornea,& Pruna ſyluestria,quæ(prunaccia appellant)ficus recẽtes,necnon perſica,& Vuæ,pretiis a ſupraſtantibus imponendis non ſubiaceant,non obſtãtibus aliis in genere vt ſupra.

De Paceriis,& eorum officio.

STatuimus & ordinamus,quòd creati Pacerii a DD.Officialibus curent diligenter,ſub pœna duorum duc.ſcire odia & inimicitias inter ciues & incolas Priuerni,& eorum qui libet in ſua porta diligenter inquirat de prę miſſis,ſub eadem pœna quibus compertis elaborent vnà cum Rectore ſpirituali parochiæ pacem & concordiam ad bene viuendũ hinc inde componi;Vbi vero nec eius officium ad pacem componendam proderit inter huiuſmodi diſſidentes,neque parochialis ſacerdotis cõmonitio,recurrant ſub eadem pœna ad D.Poteſtatem ſuper fideiuſſionibus de non offendendo hinc inde dandis,qui D.Poteſtas eos ad præmiſſa compellat ex officio,retinẽdo eos in carceribus per quinq; dies,intra quos ſi idoneos fideiuſſores in præmiſſis nõ dederint,proſcribantur & vt dicunt,exbandiantur. per eiuſdem D.Poteſtatis Curiam cum adiectione pœnarum ad arbitrium.

De Viariis,& eorum officio.

STatuimus & ordinamus,quod creati Viarii ſecundum ordinem ſtatuti in eorum ſemeſtri curent omni diligentia vias per Priuerni territorium quaſcunq; publicas,& Pontes in eis,quotiens opus fuerit,aptari & inſtaurari per vicinos illarum & illorum in eadem cõtrata ad ipſorum Viariorum conſiderationem,vel aliter per collectas imponendas pro põtibus reſtaurandis,ſi eis videbitur magis expedire,ſub pœna duorũ duc & hoc ex officio.

Item inſtaurari curent vias intra mœnia Priuerni quaſcunq; etiam publicas & mœnia reparari vbi neceſſe fuerit,ſub eadem pœna.

Item quod teneantur,vbi per querelas ciuium vel incolarum Priuernatum in palatio communis coram Cancellario factas & ab eo receptas,ſeu ſcriptas aliquid ſuper præfatis viis,pontibus,& mœnibus fuerit contra eos dictum,illud intra menſem executioni mandare,dummodo ſit neceſſarium,ſub pœna duorum duc in quemlibet ipſorum.

Item curent cloacas omnes & ſingulas intra Priuernum exiſtentes purgatas manuteneri ab his,qui earum vſum habent,continuato opere vſque ad ipſarum exitum extra muros Priuerni per conueniens foramen,ſub eadem pœna,ſub qua etiam pœna qualibet prima Dominica cuiuſcunque menſis debeant reuiſere ipſas cloacas & interxenniorum exitus in vias publicas,& ſi quid inuenerint reparatione dignum,intra octo dies reparari præcipiãt, ac delinquentes inuentos in præmiſſis & circa ea nihilominus curię repræſentent ſub eadem pœna.

Item quod curent per eorum præcepta claudi interxennia,quæ Atraſcendas vocãt,quæ cunque in vias publicas reſpondentia,& quæ habere in ipſas vias exitum coguntur,curent per ſubterraneos curriculos,ſeu meatus vias tranſuerſari in alia congrue interxennia,ſeu aliter per cloacas viciniores dilabi,donec de vno interxennio ad aliud continuato meatu ad exitum murorum Priuerni perueniatur per loca conuenientia ipſis a viariis iudicanda, ſub eadem pœna.

Item quod præfati Viarii curent,quod omnium ciuium & habitantiũ Priuerni exaquatoria currant cooperta per murum cuiuſcunque domus illo vtentis vſque ad tellurem,& deinde per ipſam tellurem per modum aquæductus ſecundum ſuam domũ,ſimiliter coo-

perta ſaltem per duos paſſus:Quod vt ſupra facere debeant reuiſendo ſemel in menſe, & ſub eadem pœna,faciendo in præmiſſis & eorum ſingulis moneri omnes per publicum bandum in principio eorum initi officii,cum impoſitione pęnarum.

Item quod ſub eadem pęna currant,& exeant immundicie & ſtercora per cloacas & exaquatoria iuxta portas,quibus vtitur populus Priuerni,ſaltem ad decem cannas ab vltimo muro ipſarum portarum ab extra,reuiſendo eas quolibet die Dominico, & delinquentes præſentando curiæ puniendos,ſub eadem pœna.

Item cum aliquis conqueſtus fuerit contra ipſos viarios in palatio communis de occupatione viarum,aut aliter de earum deuaſtatione,ſimiliter & pontium & cloacarum, curent inueſtigare intra octo dies delinquentes,atque eos denunciare curiæ, aliter & ipſi pœnam pendant,qua delinquentes in hoc caſu venirent puniendi.

Item reuiſendo menſe quolibet vias montis Priuerni publicas,necnon & vias intra Priuernum,ſi quas inuenerit lapidibus proiectis impeditas,aut maceriis, vel muris, ſeu aliis impedimentis occupatas,curent purgari,& delinquentes vicinos curiæ repræſentari, ſub pœna duorum duc.in quemlibet.

Item quod qualibet ſecunda Dominica cuiuſcunque menſis debeāt reuiſere fontem Leonis,& illum inuentum non purgatum & non integrum curent omni diligentia intra octo dies in priſtinam cōmoditatem aquarum reduci impenſa cōmunis,ſub eadem pęna quod ſi facere neglexerint,id totum de propria eorum pecunia faciant,præter ſolutam pœnam.

Item quod poſſint per eorum edicta imponere pœnas vſque ad carlenos decem cuicūq; ciui & incolę Priuerni per aliquod priuilegium non exempto.

Item debeant præfati Viarii repræſentare curiæ omnes & ſingulos inobedientes eorum bandis & præceptis primo die poſt elapſum tempus obedientiæ,ſub pœna vnius ducati in quemlibet,vbi aliter ſuper præmiſſis clauſulis,aut infraſcriptis non ſpecialiter exprimitur.

Item quod omnes & ſingulæ differentiæ & controuerſiæ,quæ oriuntur inter ciues & incolas Priuerni ſuper viis,cloacis.interxenniis,finibus,ſeu terminis,poſſeſſionum, domorū, hortorum,tectorum,& ſimilium,cum eorum pertinentiis,terminentur per hunc magiſtratum per ſolam inſpectionem locorum quorum quatuor decreto in præmiſſis ſtetur,ſub pœna vnius ducati,& nihilominus decretum per eos factum retractari nō poſſit, niſi per D.Poteſtatem,ad quem fuerit reclamatum.

Item vbi erit aliqua differentia ſuper via per vicinum alteri vicino concedenda, debeāt vocari Viarii præfati ad ipſam differentiam terminandam vt ſupra,qui euntes debeant cōcedere viam per eam partem & locū per quem dicta via ſit minus damnoſa,ac petenti magis cōmoda,& magis vicina terræ Priuerni,ſub pœna v.carl.in quemlibet,vbi aliter iudicauerint;Quæ via concedenda vendatur iuſto pretio,iudicando per dictos Viarios ſecundū loci qualitatem.

Item quod iuſſi ad hoc magiſtratu pro certis diebus ad reparādas vias,& pontes, & alia vt ſupra,non moleſtentur per alium magiſtratum,nec alicui ipſorum licentia detur de non eundo ad præceptum.ſub pœna v.carl.

Item quod intra Priuernum in controuerſiis vocati eorum merces pro quolibet ſit vnius ſolidi currentis monetæ.Extra vero per territorium ſolidi vnius pro quolibet miliario. Et vbi contigerit præſentia D.Iudicis & Notarii,ſeruetur tabula ſoluendorum in ciuilibus. Si quis autem vltra hanc mercedem acceperit,vel ire renuerit,puniatur pœna præmiſſa.

De Viſoribus Communis.

STatuimus & ordinamus ad tollendam differentias,quæ ſæpius oriuntur inter dantes & damnum paſſos ſuper damnorum æſtimatione,quòd in eſtimationibus quibuſcunq; tam intra,quàm extra per territorium Priuerni,de & ſuper damnis dat. tam per homines propriis eorum perſonis,quam per ipſorum beſtias quomodocūq;,ſtetur relationi viſorū cōis.

Item quòd vocati duo ex viſoribus prædictis ad æſtimandum damnum,ſufficiat ad plenam probationem æſtimationis,& debeant,ipſo die vocationis accedere quo vocantur ad damnum ipſum æſtimandum,ſub pœna duorum carlenorum in quemlibet vocatum & renuentem accedere vt ſupra.

Item quòd videntes damnum,illud æſtiment recta conſcientia,& requiſiti referant Notario

tario ciuilium,qui æſtimationem ipſam deſcribat in vno libello ad id deputato in ſuis actis, & non alius,cui adhibenda ſit fides,ſub pœna duorum carlenorum in quemlibet & Notarii merces ſit vnius bolendini pro qualibet æſtimatione deſcripta. Salariũ autem Viſorum ſit, intra Priuernum vnius ſolidi pro quolibet viſore.Extra verò per territoriũ ſit ſolidi vnius, pro quolibet milliario;Et in relatione apud notarium ſpeciatim referant quantitatem damni,a quo genere beſtiarum,& intra quantum tempus ſit datum ipſum damnum, ſub pęna prædicta in quemlibet vocatum & referentem contra hanc formam. Poſſit autem vbi difficilis erit collegarum congregatio ad æſtimandum,vnus ex viſoribus de licentia D. Poteſtatis aſſumere ſecum vnum alium ciuem,qui tamquam collega cum eo habeatur, & eandẽ fidem in referendo faciat.Et ſi occurrerit ab aliquo mitti meſſores in ſuas fruges, & ipſi in eiſdem frugibus inuenerint aliquod datum damnum,poſſint meſſores ipſi dictum damnum æſtimare & in actis referre,cum non ſit conueniens retardare meſſores, donec a viſoribus communis damnum æſtimetur,& eorũ relationi ſtetur in præmiſſis. Quod etiam ſeruetur in caſarciis frumentorum aut bladorum,cũ mittuntur operarii ad triturandum.

Item quod liceat damnum danti, vbi ſe grauatum ſenſerit,idem damnum alias etiam legitime æſtimatum iterum æſtimari facere etiam legitime,quouſque æſtimatio ipſa iterum facienda erit poſſibilis.

Item quod quotiens quis damnum patiens mittit,aut vocat viſores in præmiſſis,ſemper id faciat cum vocatione per mandatarium contra damnum dantem , & cum intimatione appretii facti,aliter æſtimatio ſit nulla.Econuerſo vbi damnum dans iterum pro ſe viſores mittit,idem ipſe faciat.

Item quod æſtimatio ſuper damnis datis,quæ intra octo dies non fiat a die damni illati, ſimiliter ſit nulla;ſaluis quidem ſuper hoc aliis ſtatutis ſpecialiter loquentibus,quæ in ſuo robore permaneant.

Item quod ſatisfactio damni fiat ſuis congruis temporibus,vt moris fuit hactenus Priuerni,nec ante poſſit ad ſatisfaciendum vllo modo cogi, ſaluis quidem damnis pecuniariis , & quæ in pecunia iudicantur ſoluenda,quorum ſolutio fiat per damnum dantem intra triduum,poſteaquam relatum fuerit per viſores vt pręmittitur coram notario ciuilium,ſi condẽnatio deſuper lata fuit.ad quam ſolutionem,ſi opus fuerit,cogantur viis iuris per iudicem Priuerni.

Item quod vbi pro damno dato datur aliquod pignus ad effectum ſatisfaciendi, eius terminus ad reluendum ſtatuatur per iudicem trium dierum,quo elapſo procedatur ad ſubhaſtationem & deliberationem,donec damnum paſſo ſit integre ſatisfactum.

De Cuſtodibus Caſtanearum.

STatuimus & ordinamus,quod quatuor cuſtodes Caſtanearum debeant partitis inter ſe vicibus,ſaltem ter in hebdomada diſcurrere loca caſtanearum in territorio Priuerni exiſtentium & diligenter ea cuſtodire,ſub pœna v.carl.totiens quotiens & c.pro medietate cõmuni & pro reliqua accuſatori applicẽñ.Siquis vero incidentes illarum arbores,aut earum ramos inuenerit,illos accuſet in Cu.communis Priuerni intra triduum a die inuentionis, ſub eadem pœna,eiſque adhibeatur plena fides ſine præſentia aliquorum teſtium , dummodo contra eoſdem accuſantes non probetur contrarium per duos legitimos teſtes , in quo caſu pœnam ſoluant de falſa & fraudulenta accuſatione,& ab eis accuſatus abſoluatur.

Item quod ſub pęna duorum carl.teneatur quilibet cuſtos accuſator denunciare damnum,ex inciſionibus datum domino caſtanearum intra triduum prędictum.

De cuſtodibus contratarum, ſeu Priuatorum.

STatuimus & ordinamus,quod quilibet poſſit vnum vel plures cuſtodes conſtituere in re ſua,dummodo approbentur a D.Syndico, vel D.Reſidente,cui iuranti & deſcripto in actis curiæ communis adhibeatur plena fides in accuſationibus damnorum dat.ſuper eadẽ re intra octo dies a die inuentionis,ac ſi eſſet vnus e cuſtodibus ipſius communis.Quos priuatos cuſtodes eiſdem cuſtodibus communis æquiparamus.Et poſſit vnus priuatus cuſtos pluribus dominis,& pluribus poſſeſſionibus inſeruire.

De ſexdecim Cuſtodibus Communis.

STatuimus & ordinamus quod electi cuſtodes cōmunis quatuor ſpecialiter pro qualibet porta per DD.Officiales,teneantur infraſcriptum ordinem ſeruare poſt præſtitum per eos corporale iuramentum,videlicet.Quod primo die initi officii debeāt duo cuſtodes de prima porta in mane orto iam ſole,præſtò eſſe in palatio communis armati armis haſtatis; ibique expectare Militem campi vſq, ad pulſationem ad miſſam in eccleſia S.Mariæ. Quo quidem milite comparente,& cum ipſis duobus accedere volente,vel non,ex ipſis cuſtodibus,vnus exeat per portam Poſterulam,ad pontem verſus abbatiæ,per viam Romanam;deinde ab ipſo ponte per campum deloſo & alia loca ſe conferat ad inueſtigandum damna dantes.Et alter per portam Caietanam ad Torrentem verſus Cœliaræ per viam etiam Romanam,& deinde ab ipſo torrente vagetur palàm per campum ſimiliter,& ad damna dantes inueſtigandos,& redeuntes,non tamen ante occaſum ſolis veniant in palatium communis,indeq; non diſcedant,niſi de voluntate D.Poteſtatis,ſub pœna carl.quatuor totiēs quotiens præmiſſa omnia non obſeruauerint.Teneantur etiam dicti cuſtodes quotieſcūq; occurrerit & a milite campi requiſiti fuerint,etiam de nocte,cum dicto milite per campum ipſum vagari ad inueniendos damna dantes , ſub pœna prædicta.

Item quod ſi inuenerint damnum dantes,aut furtum aliquod in dictis viis committētes, necnon in frugibus meſſis,frumento triturato,ſimiliter in leguminibus truncatis, aut etiam trituratis & ſimilibus,quæ ſub furti vocabulo per campum ipſum Priuernatē legitime poſſent appellari,vel perſonas quaſcunq; damna dantes,eos accuſare & curiæ denunciare debeant per modum accuſationis in forma intra triduum a die inuentionis,ſub eadem pęna, præter pœnas ex ſimonia,ſi in eas inciderint,ac etiam denunciare intra quatriduum a die inuentionis,dominis damnum paſſis dictam accuſationem per ipſos factam , vt poſſint ſuæ indemnitati conſulere.

Item quod vnus ex dictis cuſtodibus pulſet ſtatim poſt ſecundam horam noctis campanam palatii ad ſcaranam,ſimiliter & ſtatim poſt tertiam horam noctis,quatenus horologiū dictam vltimam ſcaranam non pulſauerit.

Item quod pulſata vltima ſcarana debeant requirere D.Poteſtatem,ſi velit ire per cuſtodiam terræ Priuerni,aut aliter militem ſuum mittere,qui ſi dixerit quod ſic,cum eo ire debeant quouſq; per eūdem dimiſſi fuerint,vſque etiam ad mane,ſub pœna vnius ducati pro quolibet.Si vero dixerit quod non,aut nihil eis reſponderit,abeant ad eorum commoda ſine aliqua pœna.

Item quod vbi dicti cuſtodes,ſeu eorum aliquis legitimo & rationabili impedimento detinerentur,ſeu detineretur,propter quod pręmiſſa adimplere non poſſent,excuſentur a pœnis præmiſſis ſimiliter & infraſcriptis,& earum qualibet reſpectiue .

Item quod teneantur intra triduum a die vt ſupra inuentionis denunciare damnum domino rei,in qua datum fuit,ſub pœna refectionis damni de ſuo,ſuper qua denuncia credatur dictis cuſtodibus cum iuramento.

Item quod vocati ipſi cuſtodes omnes & ſinguli per curiam D Poteſtatis , & moniti de ſui commiſſione per mandatarium ad comparendum coram eo de nocte ad effectum eundi per cuſtodiam intra Priuernum,debeant & eorum quilibet debeat,etiam non de cuſtodia per ordinem vtſupra,armatus in palatio,ſaltem ſtatim poſt vltimum ſonum ad ſcaranam comparere ad effectum vt ſupra,quotieſcunque monitus fuerit vt ſupra,nec inde,niſi vt ſupra dimiſſus diſcedere,aut completa cuſtodia,ad quam cum ipſa curia accedat,vt præmittitur,ſub pœna vnius ducati pro quolibet.

Item quod vbi ſoli ipſi cuſtodes,ideſt ſine curia,& ex eis duo aliquem de nocte inuenerint intra Priuernum furtum committentem,aut poſt ſonum vltimum ad ſcaranā ſine igne contra formam ſtatutorum,debeant ipſum ita inuentum in mane curiæ accuſare,ſub pœna vnius duc.

Item quod cuſtodibus cōmunis præfatis & eorum ſingulis adhibeatur plena fides in eorum accuſationibus iuxta formam ſtatutorum formandis ſuper præmiſſis,ſaluis quidem ſtatutis quibuſcunque aliter ſpeciatim loquentibus;& cum conuictus ex eo aliquis fuerit de falſa & fraudulenta accuſatione per legitimos teſtes,puniatur pœna prout in ſtatuto ſub eadem rubrica. Et nihilominus accuſatus ita falsò remaneat impunitus,& damnum emendet de ſuo illud patienti cuſtos conuictus.

Item

Item quod ipſi cuſtodes, vt ſupra iam dictum eſt, & in toto eorum ſemeſtri debeant per circulum portarum & ordinem præfatum, videlicet ſinguli duo pro qualibet porta, cuſtodirē & alia facere vt ſupra, ſingulis partitis diebus, ſub pœna vnius duc. vt ſuperius diximus.

Item quod dum cuſtodiunt campum vel vineas & poſſeſſiones tempore fructuum non poſſint in vineam aliquam, ſiue hortum, aut quamcunq; poſſeſſionem fructiferam in quibus tunc fructus reperiantur, ex ſe & propria auctoritate ingredi. Si vero aliquem damnificantem in præfatis poſſeſſionibus fructiferis viderint, tunc ad effectum illum cognoſcēdi liceat ingredi, & eo cognito & inuento ſtatim exire, nec in vineis & locis ipſis quibuſcunq: fruct⁹ aliquos quicunque ſint etiam modicos, & etiam ad effectum ibi comedendi, colligere, nec accipere valeant nec poſſint, minuſq; ibidem morari, ſub pœna duorum duc. pro quolibet & qualibet vice. Et ſi fructus ipſos extra vineas & loca ipſa aſportauerint, pœna ſit prout in aliis ſtatutum reperitur. Et in hoc credatur dominis poſſeſſionum in accuſando cuſtodes cum vno teſte fidedigno mediis eorum iuramentis.

Item quod die ipſo cuſtodiæ nihil portent etiam de ſuis fructibus intrando Priuernum, neq; per campum ipſum vagando, ſub pœna in quemlibet x. carl. Similiter & miles campi, & credatur cuilibet accuſatori cum iuramento & vno teſte, qui dimidium pœnæ lucretur, reliquum commune.

Item quod teneantur ipſi cuſtodes omnes emendare damnum illud patienti, vbi patiens iurauerit neſcire ſe, qui ipſum damnum dederit in re ſua extra Priuernum per campum, dummodo agatur contra eos de damno dato, & non de re furto ablata, ipſumq: damnum ita datum per duos vicinos in damno proximiores, aut aliter per viſores cōmunis intra quatuor dies a die querelæ iudicetur a quo cuſtodes ipſi abſoluantur, ſi legitimam in aliquem accuſationem, vel inquiſitionem formauerint, quam & damnum patiens proſequatur contra accuſatum, vel inquiſitum, vt præmittitur ac de damno agat.

Item quod vbi cuſtodes permiſerint alicui per aliqua loca prohibita per ſtatuta, aut per edictum accedere de eorum licentiam, vel promiſerint, illac nō pertranſire illo die & tempore, puniantur ſinguli pœna de ſimonia, & accedens ipſe vt ſupra pœna dupli puniatur, tam pro ſe quam forſan pro ſuis beſtiis iuxta formam ſtatutorum reſpectiue ad loca, Quod & inter maleficia habeatur. Idem ſtatuimus, ſi recepta pecunia vel munere, aut promiſſione aliqua miles, aut aliquis de cuſtodibus inuentum furem, aut damna dantem non accuſauerit, quod de ſimonia puniatur, ad pœnam duc. quatuor applicandorum vt ſupra vltra damni emendationem.

Item quia diximus cuſtodibus adhibendam plenam fidem, ſtatuimus quod cuſtos ad accuſandum aliquem qui contra cuſtodes petitionem formauerit ſuper damno ſibi emendando, non admittatur, nec ei credatur ſine vno legitimo teſte durante ſuo officio, ne ad vindictam accuſare videatur, & quod dictum eſt pro eo qui contra cuſtodes petitionem formauerit vt ſupra, intelligi ordinamus etiam pro tota eius familia.

Itēm quod die ſuæ cuſtodiæ cuſtos nullus aliquod opus pro ſe ipſo, aut pro aliis quibuſuis perſonis exerceat, ſed incumbat ſuo officio, ſub pœna quatuor carl. de quo credatur accuſatori cum iuramento & cum vno legitimo teſte, qui & ipſe accuſator dimidium pœnæ lucretur, reliquum commune.

Item quod omnes & ſinguli cuſtodes communis ſint exempti ab omni alio præcepto curiæ, quod quidem ſuum officium non concernat.

Item quod poſſint compelli ad capiendum aliquem & captū, aut carceratū cuſtodiēdū.

Item quod miles campi cum cuſtodibus quos ſecum adduxerit per confines, poſſit præcipere aliis quibuſcunq; ciuibus, aut incolis Priuernatibus, vicinis quidem illis locis exiſtentibus, contra forenſes diffidatos, aut aliter contra formam ſtatut. in campo Priuerni cōmorantes, cum impoſitione pœnæ duorum duc. vt in auxilium eorum in præmiſſis ad ea præfata loca ſe conferant. ſtatuto aliquo alio in contrarium faciente, ſeu loquente non obſtante, & credatur militi præfato cum iuramento, & relatione ſociorū cuſtodum ſuper præcepto.

De ordine in officiis vacantibus.

STatuimus & ordinamus, quod ſi aliquo caſu contigerit vacare officium D. Poteſtatis & Iudicis, necnon D. Cancellarii communis, aut Notarii maleficiorum, vt ſæpe vidimus cō

tigiſſe,ad officium,quod ex præmiſſis vacauerit,deputetur aliquis ciuis Priuernas idoneus per DD.Syndicum & officiales,cum conuenienti & honeſto eius ſalario,ac conſenſu & au ctoritate Rectoris prouinciæ.Et ſi dicti DD.Syndicus & Officiales intra triduum in hoc ca ſu præmiſſa facere neglexerint,puniantur pœna v. duc.

De ſalario lucrando per obitum,D.Poteſtatis & Cancellarij in officio.

SIquis Poteſtas & Iudex.Cancellarius communis,& Notarius maleficiorũ terræ Priuerni in ſuo ſemeſtri violenter obierit ex cauſa ſui officii,ſalarium integrum quod pro toto tempore eidem erat ſoluendum acquiratur hæredi. Si vero naturaliter in officio obierit ſa larium ſoluatur hæredi pro rata ſeruitii.

De vacatione officij DD.Syndici & officialium & aliorum officia gerentium in palatio communis.

STatuimus & ordinamus quod vbi euenerit Syndicum communis,aut aliquem ex officialibus,vel alios officia gerentes in palatio communis obiiſſe in officio,vel aliter Priuerno abeſſe vltra 30.dies,cæteri officiales,ne Magiſtratus ſuo numero priuetur,eligant alterum de porta vacantis officii,ſub pœna duorum duc.& electus officium exerceat per reliquum ſemeſtris,ſub pœna ſuperius poſita contra eos qui officium ſuum exercere renuerint.

De Oratoribus,ſeu Ambaſciatoribus communis.

STatuimus & ordinamus,quod vbi euenerit neceſſitas mittendi Oratores,ſeu Ambaſciatores,nullus mittatur orator,qui non ſit electus per concilium,cui ſemper tradantur memorialia pertractandorum negociorum,ſub pœna duc.x.in DD.Syndicum & officiales.Orator vero electus vt ſupra in exponendis,aut gerendis negociis communis non excedat tenorem & fines memorialis ſibi tradendi,etiam ſi aliquid tãquam ſpecialis perſona,& non tamquam orator narrare & exponere voluerit,& ſi aliter fecerit ſit perpetuo inhabilis ad huiuſmodi officium oratoris gerendum,& incidat in pœnam duc.50.ſtatim perſoluẽdorum,applicañ.pro medietate accuſatori,& pro alia communi,& credatur accuſatori cũ vno teſte fidedigno.Et miſſus orator habeat de pecunia cõmunis pro ſuo ſalario & equi, ac ſuis & equi expenſis iulios quinq; pro qualibet die.Sed quando Romam deſtinatur ſoluatur etiam vectura,ſeu merces equi vltra ſalarium prædictum.Liceat quidem DD. Syndico & officialibus in quibuſlibet ordinariis negociis communis,& aliis etiã extraordinariis, quæ eis non videbuntur magnæ importantiæ,& propterea non requiri congregationẽ cõcilii,ex ſe ipſis eligere oratorem,dummodo intra tres dies negotium ſit expediendum, pro quo mitti contigerit orator præfatus In aliis vero negociis,quæ omnino deſiderant deliberationem concilii,& intra triduum confici non poſſunt,veluti quia res noua imminet , aut aliquid magni,nullo modo officiales mittant oratores,niſi vt ſupra per concilium electos, ſub pœna v.duc.in quemlibet eorum.Orator autem,qui miſſus pro re communis ipſã pertrãctauerit,reddat rationem deſcribendam per Cancellarium in libro reformationum de ſingulis diebus quid egerit cum iuramento,& vbi aliquot alios dies forte ad negocium nõ neceſſarios commoratus fuerit,nullam ex eis mercedem recipiat.

De expenſis faciundis Rectori Prouinciæ.

STatuimus & ordinamus,quod veniens Rector prouinciæ ad viſitandum vt moris eſt,aut aliter pro communi Priuerni habeat de pecunia communis eius impenſas per tres conti nuos dies,ſi totum id triduum Priuerni contigerit commorati.

Quod aſſumptus ad officium gerat illud per perſonam propriam.

STatuimus & ordinamus,quòd quicunq; legitime iuxta formam ſtatutorũ Priuerni aſſũptus fuerit ad officium gerendum in palatio communis,debeat illud exercere per propriam perſonam,& non per ſubſtitutum,niſi ex legitima cauſa arbitranda per DD . Poteſtatem & officiales,ſub pœna vt ſupra de renuente officium exercere;& nihilominus ſub-

ſtitutus

ſtitutus aliter pro non officium habeatur & iudicetur.

Quòd nullus excuſetur ab officio per abſentiam.

STatuimus & ordinamus, quod nullus ab officio non exercendo excuſetur propter eius abſentiam a principio ſui officii, niſi legitime conſtiterit per menſem Priuerni & in eius diſtrictu non fuiſſe ante eius electionem, ſeu publicationem, in quo caſu alius per DD. Officiales ſubſtituatur.

De Concilio generali proponendo.

STatuimus & ordinamus, quod in omnibus Conciliis Generalibus ordinandis teneatur D Reſidens hora competenti præcedentis diei immittere præconem cum tuba, qui in locis ſolitis proclamet, vt moris eſt, concilium pro craſtino, ſub pœna x. carl.

Item quod in concilium non admittantur minores xxv. annis, & excommunicati, & ſi admiſſi fuerint, nullam vocem habeant, ſimiliter & filii familias in eadem domo cum patre cõuiuentes, niſi maior natu, & dummodo non ſit minor xxv. patrem habentem excuſet.

Item quod congregato populo in palatium cõmunis ad concilium faciendum, debeant ibi adeſſe DD. Syndicus & officiales, ac Camerarius communis, ſedentes quidem officiales pro tribunali per ordinem portarum, & habentes in capite tribunalis D. Poteſtatem, ſine quo concilium ſit nullum, ſaluis caſibus in ſtatuto de D Poteſtate loquente contentis, poſt quem ſedeat D. Reſidens, non obſtante in hoc ordine portarum quomodolibet.

Item quod D. Syndicus interſit cõciliis vt ſupra ſtans ante tribunal, qui & proponat proponenda, ſub pœna duorum duc.

Item quod cum proponit ſyndicus, debeat omnes & ſingulas poſitiones negociorũ portandorum per populum, diſtinctas proponere, & non confuſas, ſub pœna duorum duc.

Item quod D. ſyndicus moneat populum per præconem de ſilentio, & quod nullus conſulat, niſi in loco ſolito, ac aliquid extra poſitiones dicat, ſub certa pœna a D. Poteſtate imponenda.

Item quod ciues aliquamdiu commorantes ad conſulendum, poſſint cogi per D. Poteſtatem ad dicendum ſuam ſententiam, vnus ſolummodo poſt alium, vſque ad numerum ſex, ſub certis pœnis. Et ſiqui alii vltra dictum numerum voluerint arrengare admittantur. & concilium non concludatur, niſi prius auditis ſex ciuium ſententiis ad minus arrengantiũ.

Item quod concilium generale ſit nullum, niſi ei interſint ſaltem centum ciues, cum quorum numero ſit plenum concilium, & hi totam & integram communitatem repræſentent.

Item quod ſententiæ ciuium deſcribantur a Cancellario ſingillatim & diſtinctè, ſecundum quis conſulens dixerit, aut aliter per verba pauciora idem ſignificantia.

Item quod vbi fuerit per D. Syndicum aliquid propoſitum, & populus conclamauerit faciendum, vel non faciendum, non fiat aliud partitum ad buſſulam & palluctam, ſed voluntatem populi conclamantis circa propoſita officiales exequantur.

Item quod finita arrengatione, debeat D. Syndicus facere partitum ſingularum poſitionum, ſuper quibus fuerit arrengatum ſucceſſiue de vna poſitione ad aliam; & conſignatis primitus palluctis ad hoc deputatis, ſignatis aliquo paruo ſigno communis, ad euitandas fraudes, nunciet populo alta voce partitum ſupradictum, vt populus iuxta ſuam ſententiã ponat palluctam in qua voluerit buſſula, & deinde Mandatarius accedat cũ buſſulis binis, vna videlicet alba; del ſi, altera vero rubra vel nigra del, non, in quibus ciues ponant dictas palluctas vt ſupra. Et illis omnibus receptis ab vno quoque, incipiendo a DD. Syndico & officialibus, eaſdem buſſulas cum palluctis receptis Cancellario conſignet, qui palluctas prius buſſulæ albæ numerando alta voce, illarum numerum deſcribat in libro ad hoc parato Deinde ſimili voce numerando ſigna, quæ in nigra, illorum numerum etiam deſcribat, vt ſupra, & ſic facta collatione palluctarum, exequi concluſionem curent DD. Syndicus & officiales ſecundum maiorem earum partem.

Item quod Camerarius curet ſemper habere palluctas præfatas integras in ſuis manib⁹ anteq iam populus dimittatur, ſub pœna vnius ducati, & debeat ſemper ex eis habere vſq; ad numerum. 200. ad minus, quas habere procuret expenſis communis, vbi aliquas ex eis amiſerit, ſeu aliter non habuerit,

Item quod nullus habeat plures palluctas quam vnam,quam immittat in buſſula,ſub pœna x.duc.

Item quod in abſentia D.Syndici proponat Cãcellarius poſitiones ordine & modo quibus ſupra.

Item quod nullus accedat in concilium,qui in illud non ſit admittendus, iuxta ordinem prædictum,ſub pœna x.carl.

Item quod omnes & ſinguli,qui vocem in concilio habent, & in illud admittendi ſunt, debeant ibi adeſſe in tempore,ſub pœna vnius carleni in ſingulos applicanda pro dimidia communi & accuſatori,& ſoluatur de facto.Excuſetur tamen qui fuit abſens ante præconiũ per terram immiſſum & in tempore non redierit.

Item quod congregato concilio,& ſedentibus DD Officialibus,antequam aliquid proponatur,recenſeantur nomina ciuium,cum puncto deficientiũ,ſimiliter priusquam populus dimittatur per mandatarium,ſolummodo alta voce,& intra palatium.

Item quod nullus diſcedat a concilio antequam officiales diſcedant de tribunali,ſub pœna vnius carl.vt ſupra applicañ.

Item quod in concilio nihil officiales proponant pro cõmodo ſuarum perſonarum, nec aliter per ſyndicum proponi faciant,aut Cancellarium,ſub pœna x.duc.Quibus etiã ſubiaceat D.Syndicus,ſi pro ſui commodo aliquid proponat.

Item quod,vbi contra ſtatuta aliquid populus deliberauerit,non executioni illud mandetur ſine confirmatione D.Rectoris prouinciæ,ſub pœna x.duc. & nihilominus executio ipſa ſit nulla.

Item quod deliberata per concilium mandentur executioni per DD officiales diligenter,adeò quod ſi quod damnum propter eorum negligentiam in exequendo cõmuni emergat,emendetur de eorum propriis bonis,& inſuper duorum duc.pœna puniantur.

De concilio minori proponendo.

ITem quod in conciliis minoribus proponendis & concludendis iuxta formam ſecundi capituli ſtatuti de officio DD.Syndici & officialium ſupra poſiti,ſeruetur eadem forma,quã diximus ſupra in conciliis generalibus,præterquam in arrengatoribus, qui ad minus ſint tres numero,

De concilio querelarum quolibet menſe faciendo.

AD tollendum aggrauia forſan inferenda ciuibus ab officialibus terræ Priuerni,ſiue alia quauis perſona.Statuimus & ordinamus,quod DD. ſyndicus & officiales quolibet primo die Dominico cuiuſlibet menſis ſui officii,debeant proponere concilium querelarum, prout hactenus conſuetum eſt,emanatis prius bandimentis publicis per loca ſolita eiuſdem terræ die ante,pro huiuſmodi concilio proponendo,ſub pœna duorum duc. pro quolibet officiali contrafaciente,applicañ.vt ſupra,Quo concilio propoſito debeant ipſi officiales ſedere,& recipere omnes & ſingulas querelas ciuium,& illas deſcribi facere in libro reformationum per Cancellarium communis,ac eas executioni demandare, quæ fuerint proficua & neceſſaria pro communi,ſub eadem pœna applicañ.vt ſupra.

De Collectis, ſeu Datiis.

STatuimus & ordinamus,quod collectæ pro neceſſariis communis non deliberentur, niſi de voluntate concilii generalis,& imponantur pes æs & libram tantum,niſi aliqua rationabili cauſa aliter concilio viſum fuerit. Cum autem per deliberationem concilii expreſſe imponatur collecta ad focum,tunc mulier vidua vnà cum filiis minoribus 20. annis mediã collectam ſoluat,ſi in eadem domo cohabitauerint.Si vero ſeparatim mulier ſola quæcũq; aut cum ſororibus,ſeu filiabus,ſine maribus,in vna domo habitabit, quartam collectæ ſolũ perſoluat.Vbi vero in eadem domo maior xx.cohabitauerit filius,vel frater, cũ matre, vel ſorore,totam collectam ſoluat.Fratres vero cohabitantes in eadem domo, ſi minores xx. mediam collectam ſoluant,Si vero maiores,integram perſoluant, Minores xiiii. annis pro

eorum

eorum foco quartam collectæ perſoluant,in eadē domo cohabitantes.Si vero ex eis maior xiiii fuerit aliquis,& minor xx.dimidium pro foco ſoluat collectæ. Doctores legum & artis medicinæ,ſi priuilegia oſtenderint doctoratus,nihil tam ad focum per æs & libram perſoluant,Focularii vero,quæ ad Cameram Apoſtolicam deuoluuntur,integra ab omnibus per ſoluantur tam doctoribus quam non,viduiſq;,pupillis,ac aliis quibuſcunque laicis priuernatibus non exceptis. Idemque ſtatuimus in omnibus aliis datiis,ſeu collectis intereſſe ea meræ apoſtolicæ prædictæ concernentibus,in quibus integra collecta ab oībus perſoluatur.

Item quod focularia ordinaria pro camera apoſtolica colligantur per collectores deputandos per portas ab officialibus,vt moris hactenus fuit.Reliquæ vero collectæ colligantur ad mercedem ab eis,qui melius pro cōmuni obtulerint,præmiſſa & præconizata trina monitione,nec ad id aliquis admittatur,niſi data idonea fideiuſſione,ſub pœna xx. duc. vltra damnorum emendationem.

Item quod officiales nullam habeant auctoritatem imponendi collectas extraordinarias, nec ex ſe debeant imponere ſine deliberatione concilii vt ſupra,ſub pœna xx duc.& ita impoſita ab eis collecta ſine concilio,nihil operetur,ac in collectis quibuſcunque ipſi quoque integre ſoluant,niſi aliquid ſpeciale priuilegium eis ſuffragetur. Reliqui autem ciues, aut habitantes Priuerni,qui ciuium commoditatibus gaudent,totam collectam ſoluant & ipſi ſaluis quidem ſtatutis quibuſcunque ſuper hoc caſu aliquid loquentibus,quæ omnino obſeruari ordinamus.

Item quod exactores collectarum debeant eas exigere intra xxx.dies;ſed pignora nō capiant pro eis,niſi tranſactis xx.diebus poſt habitas chartas collectarum,intra quos xx. dies, debeant ſaltem ter,diuerſiſq; diebus ſingulas domos habitatas perquirere,earumq; habitatoribus ſingulis dicere vt ſoluant,ſub pœnam,ſi hanc diligentiam nō adhibuerint,quatuor carl.in quemlibet eorum,& totiens quotiens &c.Tranſactis ipſis xxx.diebus,ſi collector nō conſignauerit Depoſitario communis totam pecuniam in carthis contentam,ſoluat de ſuo in pecunia numerata; in cuius defectu ſubhaſtentur ei bona tribus continuis diebus veſperi,& deliberentur plus offerenti,atque communi pro illis ſoluenti,& ſi bona non ſufficiant, eodem modo procedatur contra fideiuſſores reſpectiue.

Item quod exactores ipſi tranſactis xx.diebus,poſt habitas collectas,ſi non exegerint in pecunia,capi faciant pignora per Mandatarium,illaque præcedente trina ſubhaſtatione, in tribus diebus,dummodo vltima ſubhaſtatio ſit in die feſtiuo de præcepto S.M E. plus offerenti deliberent.Et ſi quid vltra debitum ſupererit,conſignet domino pignoris intra duos dies,ſub pœna duplicatæ ſolutionis pecuniæ conſignandæ.

Item req uiſitus mandatarius communis debeat accedere cum collectore,& pignora auferre ad eius inſtantiam,ſub pœna vnius carl.habeatque mandatarius pro quolibet pignorato qu itrenos duos,quotiens pignis abſtulerit iuſſus & requiſitus vt ſupra.

Item ſub eadem pœna idem mandatarius ſcribat,aut ſcribi faciat in pignore ablato nomen eius domini,& numerum ſoluendæ pro eo pecuniæ,& diligenter ita ſcribat, aut ſcribi faciat,quod bene noſcatur materia,alias non excuſetur.

Item quod ad focū numerentur omnes & ſinguli laici,qui habitauerint intra Priuernū, aut extra per diſtrictum,ſi ciuium commoditatibus coutuntur.

Item quod vbi contigerit ſolui collectam per modum ſupradictum & obligatorum ad collectam bonorum dominus Priuerni non habitauerit,de eis ſoluere teneantur illius procuratores,aut bonorum detentores,ſi vero nec procurator repertus fuerit aliquis,aut bonorum detentor,tunc tranſactis xx.diebus a die habitæ collectæ,ſtatim teneatur collector executionem facere ſuper diſtis bonis,& ea ſubhaſtari & deliberari plus offerenti, terna ſubhaſtatione præmiſſa in tribus diebus,vt moris eſt,dummodo vltima ſubhaſtatio fiat in die feſto vt ſupra,aliter & ipſe ſoluat de ſuo.

Item ſi collector ſoluere voluerit alicui commiſſario iuxta ſua forſan obligationem aliquam pecuniam pro communi,eam non ſoluat,niſi præſente depoſitario & D.Syndico,aut D.Reſidente,alias intelligatur ſoluiſſe de ſuo in vtilitatem & commodum communis ſine actione repetundarum,& huiuſmodi ſolutiones fiant in libris ad hoc deputatis,prout diximus ſupr a de officio dominorum Syndici & officialium in fine.

De Contractu Conſortium reuiſendo.

STatuimus & ordinamus, quod DD. Syndicus & Officiales debeant quotannis de menſe Maii reuiſere contractum ſuper conſortibus inter finitimos celebratum, & diligenter curare illius conditiones executioni mandari, atque non deſcriptas poſſeſſiones, iuxta formã contractus deſcribi facere, ſuper quo deputentur duo ciues per eos ad inueſtigandum per contratas, & referẽdum, ſub pœna x duc. Si quos vero inuenerint fraudatores in præmiſſis, procuret dominus ſyndicus ad ſolutionem cogi de toto tempore fraudis, ſub pœna x. duc. & fraudem de ſuo emendet.

De Rebus Communis locandis.

STatuimus & ordinamus, quod ſingulis annis DD. Syndicus & officiales curent vendi ſub forma locationis res ordinarias & locari ſolitas communis, veluti Piſcherias, Herbaciũ, Spicaticum, Molendinum, Gabellas, Prata communis, Margines, & cætera omnia locari ſolita, & præmiſſa fiant duobus menſibus antequam ad commune deuenire contingat, ſub pœna xx. ducat.

Item quod nullus DD. Syndici & officialium poſſit offerre per ſe ipſum, nec per alium in licitationibus rerum communis locandarum, nec aliter poſt deliberationem illarum cum conductore contrahere, ſuper ipſis etiam poſt completum eius officium, ſub pœna xl. duc.

Item quod in licitationibus prædictis admittatur quilibet cum idoneo fideiuſſore, tam ciuis, quam forenſis, qui fideiuſſor in hoc caſu ſoluat ſoluenda ſine aliquo ſuffragio excuſſionis in principalem, vbi principalis offerens in tempore non ſoluerit, ſtatutis & aliis quibuſcunq; in contrarium non obſtantibus Qui vero offerre voluerit, non debeat vllo pacto admitti, niſi prius præſtita cautione per Syndicum & Reſidentem approbata, aliter oblatio ipſa ſit nulla.

Item quod Banchum communis ciuilium locetur cum conditionibus ſtatutariis cuilibet Notario, ſeu ciui Priuernati plus offerenti, & non extero, ſub pœna xx duc. & locatio aliter facta non teneat, in cuius banchi exercitio non admittatur exteri, ſed tantum notarii ciues & experti.

Item quod qui conductor fuerit Banchi prædicti, ſi non fuerit ipſe notarius, vel ſi fuerit & non ſufficiens, & ita probatus per D. Poteſtatem, cum deſcriptione probationis huiuſmodi in actis ſubſtituat alium loco ſui, vt ſupra probatum, priuſquam officiũ ineat, alias DD. Syndicus & officiales ſtatim ſufficientem, & probatum notarium ad banchum immittant ſine vlla per eum ſolutione facienda, vſquequo conductor ipſe alium ſufficientẽ & approbatum deputet. Vbi vero in probatione notarii prædicti per dominum Poteſtatem iudicanda alieno modo allegaret conductor ſe grauatum, ſtetur iudicio alicuius doctoris, aut literati viri de ipſa probatione. Quod quidem curet conductor prædictus in tempore, aliter ſibi imputetur.

Item quod in ſolutionibus præmiſſis & locationibus rerum præfatarum, aut aliarum per deliberationem concilii forſan locandarum, quæ non erunt de ordinariis, nulla fieri debeat compenſatio in fauorem conductoris, ſed relicta tantum pecunia per eum in licitationibus gradatim lucrata, totum reſiduum ſoluatur Depoſitario communis. Qui Depoſitarius debeat, ſub pœna x. duc. licitatores qui lucrati fuerint aliquid reſpectiue offerendo, vocari facere per Mandatarium in palatium communis intra biduum poſt receptam ab eo pecuniã, eiſque ſingulis lucrum per eos acquiſitum ſine vlla fraude conſignare. Verum vbi comparuerit Camerarius, quem vocari etiam curet, ſub pœna ſupra, & dixerit condemnationẽ aliquam pecuniarum contra lucrantis in præmiſſis, poſſit & debeat Depoſitarius in ſolutionẽ condemnationum huiuſmodi in locum lucrantis, camerario pecuniam ipſam conſignare de facto.

Item quod in licitationibus præmiſſis faciũdis ſaltem tribus diebus diuerſis feſtis de præcepto, vt hactenus conſuetum fuit, debeant intereſſe DD. Syndicus & Reſidens, qui eas præconizari faciãt per loca ſolita ante veſperas ipſis diebus feſtis, deinde poſt celebratas veſperas, ad ſonum tubæ vt moris eſt, ſedentes in ſcalis S. Mariæ cum cancellario ſcribente auctiones, ſeu ſaltas & materias occurrentes, per mandatarium clamari faciant licitationes ipſas, & pro

& pro eis oblata, ſaltem per vnam horam continuam, & ſic vltimo die feſto de prædictis, præmiſſis clamationibus per mandatarium vt moris eſt in eiſdem ſcalis, ſedentes, plus offerenti deliberanda, legitime deliberent, niſi pro ſeruitio communis deliberationē ipſam differri videatur, ſub pœna xl. duc. ſi in præmiſſis & eorum quolibet aliter fecerint.

De Nundinis.

QVoniam libertas exteris data ad vēdendum concurſum rerum, earumq; pretium vilius parit, & maiorem ciuibus commoditatem, idcirco hoc ſtatuto ordinamus quod ſingulis annis ordinentur & conſtituantur Nundinę, quas ferias vulgus appellat, vt moris hactenus fuit, & Priuerni conſuetum, earumque libertas in emendo & vendendo ſine vlla ſolutione gabellæ, tam intra, quam extra Priuernum, incipiat in Nundinis S. Thomæ de Aquino ſpecialis protectoris & aduocati Priuernatum celebrandis, videlicet in eius feſto cum duobus aliis diebus ante & totidem poſt.

Item in calendis Maii cum vno die præcedenti & altero ſequenti.

Item quod durantibus Nundinis prædictis cuicunq; liceat empta extraherē ſine ſolutione aliqua gabellæ vt dictum eſt, aut licentia gabellæ domini, vel aliorum, præter frumentū & oleum in Priuernati territorio collectum, ſtatutis aliis nō obſtantibus in præmiſſis, quod etiam ſeruari volumus in extrahentibus poſt nundinas, dummodo res extrahendæ emptæ fuerint tempore nundinarum.

Item quod durantibus vt ſupra Nundinis ceſſare debeant executiones repreſaliarum & debitorum quorumcunq;, præterquam in principales exteros & in materiis generalis Fiſci factum concernentibus, atque Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ, quæ præfata DD. officiales obſeruari procurent pro viribus eorum officii, ſub pœna vnius duc.

Item quod in ſingulis Nundinis debeant ſtarē Centuriones armati ſaltem ex eis duo, partitis inter eos vicibus, cum ſaltem xx. aliis ciuibus etiam armatis in platea communis per eos ad hoc iuſſis, tam de die, quam de nocte, ſub pœna duorū duc. in quemlibet centurionē.

Item quod centuriones, ipſis in nundinis, ſi neceſſe fuerit, diſtribuant loca inter vendentes ſecundum qualitatem mercium, ne confuſio inter mercatores ad vendendum oriatur, & deinde forſitan rixa, vt ſolet in ſimilibus.

Differentiæ vero, quæ tunc temporis inter vendentes & ementes quomodocunque fuerint exortæ, terminentur per viam iuris in palatio communis.

Item quod ſupraſtantes debeant ſaltem ex eis duo adeſſe plateæ communis ipſis diebus nundinarum ad dandum, ſeu ſignandum pondera & menſuras cuicunque ab illis ea & eas petenti, ſub pœna duorum duc.

Item quod pro qualibet ſignatā, ſeu permiſſā ſtatera alicui mercatori non recipiat, niſi bolendinum vnum, pro media autem canna bol. vnum, & pro bracciolari bolend. vnum, ſic & pro alia conceſſa menſura, aut data, tam per ipſos ſupraſtantes, quam per Camerariū communis.

In cæteris quilibet venditor ſit exemptus ab omni iuriſdictione ſupraſtantium durantibus ipſis nundinis, ſtatuto de ſupraſtantibus loquente in hoc non obſtante nec quouis alio forſan in contrarium faciente.

Item quod liceat cuicunque extero ea, quæ ſub nomine graſciæ, etiam continentur attulerit ad vendendum, ad libitum reportare, tam tempore nundinarum, quam aliis temporibus anni, ſine vlla ſolutione extractionis & impedimento, ſi vendere non potuit, ſaluis autē aliis temporibus ſtatutis, ſuper facto aliter loquentibus, quæ in ſuo robore eſſe ordinamus.

De Mercato faciundo.

STatuimus & ordinamus ad abundantiam & commoditatem ciuium noſtrorum, quod quolibet die Sabbati fiat mercatum in platea communis, in quo quolibet etiam exterus ſit liber in vendendo & emendo ab omni gabella & extractione, præterquā a gabella quadrupedum pro vita, & non in vſum macelli Priuerni, ac venditionis pannorum laneorum, & extractionis frumenti, olei, bladorum, & leguminum. Quæ quidem conditionibus ſuorū ſtatutorū ſpecialiter de eis loquentiū omnino ſubiaceāt. Siquis vero extra plateā tempore mercati emerit, vel vendiderit, gabellæ ſubiaceat cuicunq; tā pro vēditis quā ita emptibus.

De extero qui pro ciue habeatur.

SI quis exterus cum tota ſua familia Priuerni habitauerit tranſactis duobus annis cōtinuis a die aduentus, gaudeat ciuium commoditatibus, eorumq; dum ibi commorabitur oneri bus vt reliqui ciues omnino ſubiaceat, a quibus conditionibus omnino excipimus eos, qui non animo habitandi, ſed recreationis cauſa, aut aliter confugiendi etiam cum familia per uenerint. Hi autem vt exteri ſemper habeantur, & exterorum conditionibus deſcribantur. Si quis uero exterus habitator vt ſupra abierit, vt alibi habitet, & bona aliqua Priuerni, aut in eius diſtrictu habuerit, nullam ciuium immunitatem pro illo tempore gaudere poſſit. Quod etiam ſtatuimus de extero, qui natam Priuerni vxorem duxit, pro illo tempore quo alibi cum ea commoratus fuerit, ſcilicet quod nullo priuilegio ciuium ſit ſuffultus, donec cum ea Priuerni habitatum redierit. ſtatutis ſemper de officiis loquentibus in ſuo robore permanentibus.

De Mandatarijs & eorum officijs.

STatuimus & ordinamus, quod DD. Syndicus & officiales habeant pro ſeruitio curiæ, & communis duos Mandatarios idoneos, qui ſciant legere & ſcribere, ſub pœna duorū car len. in quemlibet eorum, ſi biduo mandatarium caruerint. Salaria vero mandatariorū ſint iuxta conuentiones cum deputantur, in libro reformationum deſcribendas per Cancellarium, eiſque ſoluantur per Depoſitarium communis quolibet die vltimo menſis eorum ſer uitii, ſub pœna duorum carlenorum. Qui mandatarii dum in dicto officio cōmunitati inſeruiunt, & officium ipſum exercent, cauſas & lites quaſcunq; pro aliis, niſi proprias, agere & procurare, minuſque alicui in quocunq; opere inſeruire, nō poſſint, nec debeant, ſub pœ na duc. quatuor pro quolibet & qualibet vice, & officio priuatus exiſtat.

Item quod Mandatarii teneantur & debeant obedire omnibus & ſingulis officia habentibus in palatio communis, eorumq; exequi mandata, quantum ad officia ſpectauerint, ſub pœna duorum carl. quotiens cōtrafecerint, & in quemlibet illorum, a quā pena excuſetur, ſi in vno occupati, ab aliis præcipiantur, aut alias legitime occupati forent.

Item quod mandatarii debeant mandata omnia & ſingula exequi ſubhaſtare, præconizare, & vocare, ſeu citare, intra & extra Priuernum, ad iuſſionem & commiſſionem habentium officia in palatio communis, in rebus ad officia pertinen. gratis, & ſine vlla mercede; Verum in præconizando ſemper adeant D. Poteſtatem pro licentia impetranda, ſub pœna duorum carl.

Item quod in pignoribus faciundis ad inſtañ. collectorum pro communi, ſimiliter camerarii & depoſitarii, non recipiant, niſi duos quatrenos pro qualibet pignorata perſona, & vocati ac iuſſi in præmiſſis debeant exequi iuxta cedulam, ſeu liſtam ipſis collectoribus, ſeu camerario, aut depoſitario prædictis datam, & intra triduum oblata pignora, ſeu loco pignoris ſolutā ipſi pecuniā conſignare cum nominibus & ſumma debita in ſcriptis prout ſupra in ſtatuto de collectis, ſeu datiis, in cap. incipieñ. Item, ſub eadem pœna videlicet, ſub pœna x. carlen.

Item quod non ingrediantur domum alicuius ad pignorandū, niſi prius vocauerint dominum, & ab eo petierint, ſi dominus ibi fuerit, pignus, iuxta ſuam liſtam, ſub pœna x. carl. & ſi pignora oblata a dominis non fuerint ſufficientia, poſſint ingredi propria auctoritate, ac accipere pignora æquiualentia debito.

Item quod in abſentia domini domus, ſi domus reperta fuerit patefacta, debeat vocare vnum vicinum, ſeu vicinam ad inſpiciendum factum, & ſic ingredientes auferant pignus aliquod iuxta eorum conſcientias ad debitum ſufficiens. Vbi vero domum clauſam repere rint, eam non aperiant, niſi vocatis duobus vicinis, vel ſaltem vno cuiuſcunque ſexus, ſub pœna x. carl.

Item quod nō pignoretur lectum alicuius, neq; arma ſine expreſſo ordine D. Poteſtatis, ſub pœna x carl. ac vinum, ſeu frumentum non accipiant, niſi deficientibus aliis mobilibus.

Item quod in euentum amiſſionis pignoris, mandatario non credatur cōtra Camerariū & Depoſitarium, niſi in ſcriptis conſtet eos confeſſos eſſe per ſubſcriptionem in liſtis a Cancellario faciundis, p gnora habuiſſe iuxta liſtam, & cedulam datam in caſibus. Quare caueat confeſſionē ſibi fieri mādatarius, vt ſupra in liſtis datis de inibi ſignatis pignoribus.

Item quod vbi habuerit mandatarius liſtam vocandorum ad ſe excuſañ. debeat eos vocare

care ſaltem intra triduum,ſub pœna duorum carl.niſi aliter expreſſe mandetur. breuius in vocationibus præmiſſis executioni mandari,iu quo caſu iuſſa perficiat.

Item quod vbi liſtam habuerit vocandorum per ordinem curiæ ad ſententiam, pro die certa,mandatarius vocet in tempore,ſub pęna prædicta.

Item quod vbi perſonaliter in præmiſſis non vocauerit vocandos,dimittat cedulā affixā ianuæ.& inſcriptam ad ſe videlicet excuſandū,& ad ſententiam,ſeu ad informandum,& reſpondendum,& his ſimilibus,atq; id faciat præſente vno,vel vna ex vicinis maiore xiiij.an. ſub pœna x.carl.& aliter ſi fieri contigerit,actus non valear.

Item quod in relationibus vocandorum,ſeu monitorum expreſſe dicat perſonaliter, vel domi,prout contigerit vocaſſe,ſeu monuiſſe,in quibuſcunq; cauſis,tam ciuilibus, quàm criminalibus,ſeu mixtis,ſub pœna eadem,& actus ſit nullus ſi aliter fiat.

Item quod vbi pulſatum fuerit ad mandatariū ter,vt moris eſt,quibuſdam interuallis,is debeat præſto eſſe in palatio intra conueniens tempus,ſub pœna vnius carl. habeat autem excuſationem legitimæ occaſionis.

Item quod in proclamationibus,ſeu præconiis per curiam,ſeu officia habētes in palatio ei impoſitis,debeat ſub eadem pœna præmiſſo ſono tubæ proclamare alta & intelligibili voce,quæ proclamanda erunt,in angulis viarum a porta Poſterulæ recta via vſque ad portam Caietanam,deinde ante portam Romanam,ante hortum eccleſiæ S.Chriſtoferi, deinde recta via in angulo viarum quibus terminatur parochia S. Chriſtoferi præfati, deinde in angulis viæ paulum intra,in platea S.Ioannis,deinde in ponte vallis, iterum ante eccleſiam S.Benedicti,deinde in angulo viarum reſpondentium eccleſiæ S.Georgii,& recta ad portā Paulinam,deinde ſupra ipſam portam in tortura viæ reſpondentis per directum eccleſiæ S. Nicolai,& de proclamationibus prædictis relationes faciat apparentes in actis, ſub pœna duorum carl.

Item quod pro qualibet proclamatione poſt impetratam licentiam a D. Poteſtate, ſub pœna vt *ſupra*,ad inſtantiam priuatæ perſonæ habeat mandatarius pro ſua mercede bol. vnum,& non vltra,& de locis conueniat cum inſtanti,niſi aliter ei mandetur per Prætorē.

Item quod debeant requiſiti ſubhaſtare in locis ſolitis quæcunq; pignora & hipotecas creditorum priuatorum,& non intereſſe communis concernentes,tribus diuerſis diebus, ſub pœna x.carl.niſi fuerint per curiam aliter impediti.Merces vero pro ſubhaſtationibus prædictis ſoluatur ei prout in tabula ciuilium.

Item quod mandatarii prædicti teneantur continue retinere vnum librum ſeparatum in quo deſcribant cum appoſitione diei omnia pignora capta,ex quacunque cauſa,tam ad inſtantiam priuatorum,quàm cōmunitatis & collectorum,& ſimiliter annotare deliberationes eorum,& quibus,& quo tempore,& quo pretio deliberata fuerint,& recepto pretio pignorum deliberatorum,ſatisfactis primitus creditoribus,ſtatim quod ſupereſt, conſignent dominis pignorum intra biduum,ſub pœna duorum duc.in quolibet caſu,& quotiens contrafecerint,& nullo modo poſſint ipſi maudatarii emere nec per ſe nec per alium quomodocunque pignora prædicta,ſub pœna prædicta,pro quolibet pignore quotiens,&c.

De Officio Militis ſiue executoris Curiæ.

STatuimus & ordinamus,quod Miles,ſeu executor curiæ Priuernatis debeat diligenter exequi omnia & ſingula mandata executiua quomodocunq; ei data,intra triduū,ſub pœna duorum duc.& Nihilominus cogatur per Prætorem grauioribus pœnis ad exequendū; Excuſetur autem cum per ſe non ſteterit,ſi legitime conſtiterit.

Item quod miles & executor pręfatus nullam poſſit recipere mercedem ſuæ executionis, quam facit contra debitores,niſi prius captis pignoribus æquiualentibus debito, & illis creditoribus vt ſolet conſignatis,ſeu debitoribus prius carceratis,aut eis in palatio retentis,& niſi præmiſſa adimpleuerit,mercedem ſuam nec a creditoribus nec a debitoribus petere, neque recipere valeat,ſub pena duc.quatuor qualibet vice,in quam & ſoluētes ipſos incurrere volumus.

Item quod in exequendis debeat ſeruare ſemper formam ſtatutorum,ſub pœna duorum duc.in quolibet non obſeruato,& nihilominus executio contra formam ſtatutorum ſic factaſit nulla.

Item quod ad executionem non pergat perſonalem neque realem,niſi oſtenſo prius mā

E dato

dato reo illud videre volenti,ſub pęna vt ſupra,& executio ſtatim ſit irrita.

Item quod in exequendo mandatum executiuum non poſſit facere præceptum debitori ſub maiori pœna quam x.carl.ſeruatis prius quidem in exequendo códitionibus ſtatutarijs ſuper rebus pignoratis.

Item quod quolibet die feſto hȃbito ſecum notario maleficiorum debeat,ſub pœna duorum duc.perſonas proprias perquirere,quæ ſibi videbuntur ſuſpectæ ſuper delatione armorum prohibitorum,& id a porta poſterula ſaltem vſque ad portam Caietanam.Si quem vero inuenerit contra ſtatut.formam,armatum ducat in palatium,ſi poterit,in Poteſtarę curiæ,ſeu in carceres,vbi delicti rationem reddat,iuſtitia mediante. Si autem ita inuentum non poterit ducere,denunciet iudici deducendo legitimas probationes.

Item quod nunquam exeat de palatio ac per terram deambulet,niſi enſe accinctus,ſub pœna duorum duc.excuſetur autem ſi propter domeſtica ſeruitia ſine enſe exierit in ſcalas ſiue ad ſtabulum.

Item quod pro pignoribus auferendis domos non aperiat,niſi ſeruata forma ſtatuti ſuper hoc de officio mandatariorum loquentis.

Item quod quando Miles aliquem in fragranti crimine inuenerit ſiue duxerit delinquentem ſiue non,ſibi credatur cum vnico teſte fidedigno,ſimiliter in denegationibus pignorum credatur ſibi,vnà cum mandatario,ſeu alio teſte fidedigno.

Quæ prius pignora ſint auferenda a debitoribus,& qui non habent in bonis exbandiantur.

STatuimus & ordinamus,quod executor Curiæ Priuerni,cum pignora a debitoribus capere voluerit pro executionibus ſibi cõmiſſis,debeat prius bona mobilia ſi ſufficientia de bito capere,ſi debitor illa ex ſe non obtulerit,præter lectum & arma,quæ ſine licentia ſpeciali D.Poteſtatis auferre non poſſit,Vinum autem,ſeu frumentum pariter non accipiat,niſi deficientibus aliis mobilibus,& ſi mobilia ad debiti quantitatem non inueniantur,conuenientia,tunc ad animalium executionem procedat,in quorum defectum bona ſtabilia capiantur in pignus & ad eorum inueſtitionem procedatur. Et ſucceſſiue debitorum nomina pignotentur,& ſi in præmiſſis bonis executio ſufficiens fieri non poſſit,tunc ad captionem & detentionem perſonarum debitorũ deueniatur & procedatur,ſub pœna duorum duc. in Militem,quotiens dictum ordinem nõ ſeruauerit. Si vero debitores nullo modo habeãt vnde ſoluant ſuis creditoribus,a terra & territorio Priuerni exbandiantur arbitrio iudicis.

De Syndicatore eligendo cum aſſiſtentibus.

STatuimus & ordinamus,quod in ſyndicatione D.Poteſtatis & Iudicis,Notarii maleficiorum,& Cancellarii eligatur a DD.officialibus in iudicem ſyndicatorem aliquis probus vir legum doctor Priuernas,cuius ſalarium ſit decem carl.ſimiliter in ſindicatione cæterorum DD.Syndici,Officialium,& reliquorum,eligatur etiam aliquis doctor vt ſupra,vnà cum quatuor ciuibus ad portas,qui aſſiſtentes appellantur, vt moris hactenus fuit, rationeſque videant,& calculum componant omnium & ſingulorum geſtorum in illorũ officiis cum præfato doctore.Qui diſcuſſis diſcutiendis & calculatis computis, iudicet de iure in præmiſſis & præmiſſorum ſingulis;Et ſi Depoſitarius,aut Camerarius,ſeu quicunq; alii adminiſtrantes pecunias & introitus communis conuicti fuerint de fraude aliquã, condemnẽtur videlicet Depoſitarius & Camerarius,ad pœnas in ſtatutis de eorum officio loquentibus diſpoſitas,Cæteri vero in ſeptuplum,& pœnæ ipſę ſtatim ſoluantur abſq; aliqua appellatione,recurſu,& qualibet alia exceptione.Salarium vero huius iudicis, quo ad officiales & cæteros ſyndicandos ſit x.carl.vt ſup.Aſſiſtentium vero ſalariũ ſit carl. quatuor pro quolibet ſoluenđ.per depoſitarium de pecunia communis quibuſlibet ipſorum,Notariorum vero ſalarium in præmiſſis ſit quinq; carl.

Item quod ſupradicti Aſſiſtentes quando recipiunt libros & ſcripturas ad effectum ſyndicandi,debeãt illos & illas recipere per inuentarium,& ſic finita ſyndicatione ipſa,debeãt ſimiliter per inuentarium libros & ſcripturas ipſas conſignare Depoſitario cõmunis,deſcribenda ipſa in libro reformationum cancellariæ per Cancellarium cõmunis,ſub pœna carl.

xxv.in

xxv.in quemlibet aſſiſtentium,qui contrafecerit quotiens,&c.

Item quod DD.Officiales & reliqui,qui habuerunt officia in palatio vt ſupra,non ſyndicentur ante menſem exactum,poſt completum eorum officium,neq; ſyndicatio protrahatur ab ipſo completo officio vltra duos menſes,ſub pœna duorum duc..in quemlibet DD. Syndici & officialium tunc officium gerentium & præmiſſa fieri non curantium.

Qui parere debeant ſyndicatui.

STatuimus & ordinamus,quod ſyndicatui pareant D.Poteſtas & Iudex Priuerni cum tota ſua familia,pro qua rationem reddat cuiuſcunq; rei pertinentis ad officium ſuum.Qui D.Poteſtas & Iudex teneatur poſt completum eius officium preſtare idoneas fideiuſſiones de ſtando & parendo ſyndicatui,ac ſeptem continuos dies morari Priuerni,extra tamen palatium,& vocatus comparere ſecundum formam iuris ad reddendum rationem iam geſti per eum officii coram iudice ad id per DD Officiales deputando,& omnibus & ſingulis cōtra eum,ſuamq; familiam oblatis petitionibus reſpondendum,ac iudicio ſiſtat,ſub pęna retentionis perſonalis ac bonorum ſuorum,& in caſu condemnationis non diſcedat Priuerno,donec per eum ſingulis ſatisfactum fuerit.Si vero aliter diſceſſerit,fideiuſſores ſoluant pro eo ſine vlla exceptione,nulla facta diſcuſſione contra principalem,quæ forſan de iure fieri deberet.Si vero in ſyndicatu præfato nullæ petitiones criminales,ſed tantum ciuiles eſſent expoſitæ & porrectæ,poſſit idem D.Poteſtas dimiſſo fideiuſſore idoneo antedicto recedere quo voluerit vnà cum ſuis bonis.

Item ſyndicatui pareant DD ſyndicus & officiales,Octo viri campi,Viarii,Cuſtodes,Supraſtantes,Depoſitarius,Camerarius cōmunis,Notarius maleficiorum,ac Cancellarius communis,in fine eorum officii,necnon Notarius,ſeu actuarius Banchi ſeu curiæ ciuilium in fine cuiuſlibet anni ſui officii,inſuper & Collectores datiorum quorumcunq; tam Cameralium quam communis pro tempore impoſitorum,de & ſuper ratione reddenda exactorum & per eos geſtæ adminiſtrationis & ſuper omnibus & ſingulis in eorū officii tractatis & geſtis quomodocunque in præiudicium & damnum,tam cōmunis Priuerni,quam priuatarum perſonarum quarumlibet petitiones contra eos offerentium in ſcriptis coram iudice ſyndicationum.

Item quod fideiuſſores præſtent idoneos de ſtando & parendo ſyndicatui,ac iudicatum ſoluendo.

Item quod a condemnationibus contra eos faciendis non appellent,nec eorum quilibet appellet,& ſi forte appellauerint,appellationem ipſam in præmiſſis ordinamus eſſe nullā. Statuentes præterea,quod quilibet præfatorum,qui omnia & ſingula non obſeruauerit,puniatur pœna xx.duc.& nihilominus cogantur omnes uiis iuris & remedii opportunis & ad parendum & obſeruandum vt ſupra,impenſaſque ſatisfaciant.

Item quod nullus præfatorum DD Poteſtatis & Iudicis,atque reliquorum vt ſupra ſyndicetur durante ſuo officio,ſub pęna in ipſorum quemlibet contrafacientem xx.duc.& ſyndicatio ipſa nulla ſit.

Quando Poteſtas non habeat ſalarium tamquam commiſſarius.

STatuimus & ordinamus,quod qui venerit poteſtas ſecundum formam ſtatutorum in vrbem Priuerni & literas patentes attulerit tamquam etiam locumtenens,ſeu commiſſari° a ſuperioribus deputatus,eas oſtendere debeat in principio ſui officii,vt in alio ſtatuto diximus,ſub pœna xx.duc.Et in euentum quod cogatur populus Priuernas eum recipere in Poteſtatem & Locumtenentem,aut Cōmiſſarium,debeat ipſe Prætor ſalarium a communi recipere pro Poteſtate & iudice vt ſupra declaratum fuit de electione poteſtatis,& non pro Commiſſario.

De colluſtratione ciuium armatorum.

FRuſtra quidem ciues arma portabunt,ſi militiæ atque armorum ordinem nō doceātur, ſicq; edocti & inſtructa acie ſe non exercuerint.Quare ſtatuimus & ordinamus, quod

quatuor Centuriones Priuerni anno quolibet debeant monere in forma per præconem in locis ſolitis,diebus præcedentibus infraſcriptas feſtiuitates,populum ad comparendum armatum dolonibus,aut ſcoplis,aut neceſſariis inſtrumentis in platea communis hora ad id deputata videlicet.Quod vnus ſaltem qui eſt maior xviij annis & minor quinquaginta, ad præmiſſa compareat vnus pro quolibet foco,ſub pœna duorum carl.in quemlibet centurionem,& vnius carleni in quemlibet ciuem.

Item quod adueniente hora,in qua comparuerunt armati ciues vt ſupra & primum die lunæ Paſchatis Reſurrectionis Domini,videlicet ille centurio,cuius miles per ordinem portarum in circulum perpetuum,vt moris eſt,portauerit vexillum in aciem inſtructam,habeat curam inſtruendi ipſam aciem,inſtructamque educendi de more vſque ad eccleſiam S. Petri,& eodem ordine,poſt ibi diuina officia,& alia ordinaria cōpleta,reducendi in ipſam plateam,& dimittendi iuxta ſolitam conſuetudinem,ſub pœna x.duc qua etiam pœna puniatur quilibet alius Centurio,qui hunc ordinem deturbauerit,aut deturbare voluerit.

Item quod quilibet miles obediat centurioni in inſtruendo aciem & ſtando. ſeu eundo ſuo loco,ſub pœna vnius carl.

Item quod D.Reſidens tradat vexillum vni ex militibus cui voluerit,de illa tamen porta,ad quam per circulum portarū vt ſupra ſpectauerit,ſub pœna vnius ducati.

Item quod miles ipſe portet ſibi traditum vexillum prædictum, & cætera faciat, quæ in præmiſſis iuſſerit ſuus centurio & aciei ductor,ſub eadem pœna.Quæ omnia & ſingula prædicta iuxta ordinem præmiſſum ſeruari etiam ordinamus in feſto ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli.

Item & in die natiuitatis S.Ioannis Baptiſtæ,eundo ſcilicet ad flumen Amaſenū, vt mos hactenus fuit noſtrorum auorum.Sed in hoc feſto vexillum ferat eques D.Reſidens,comitatus inſtructa ciuium vt ſupra acie,quam curam tunc inſtruendi habeāt cēturiones omnes, procedendo reſpectiue per ordinem portarum videlicet Milites duarum portarum per ordinem prædictum ante vexilliferum, & milites aliarū duarum portarū,ſub pœna vt ſupra.

Item quod redeuntibus in plateam cōmunis ipſis militibus in ſingulis diebus præmiſſis vt diximus,debeat Camerarius de pecunia cōmunis habere ibi paratum vnum congiū boni vini,cum aliquibus vrceolis ad dandum potum,cuius medium conſignet cuſtodibus, qui teneantur armati reſidere in palatio,& illud cuſtodire,donec reuertatur populus,& medium vexillifero,ſub pęna v.carl.

De brauiis faciundis

AD excitandam iuuentutem,tam noſtrorum ciuium,quam aliorum, & vt deſiderio aliquid lucrandi alter alterum ſtudeat in his,quæ ad illam ætatem pertinent, pro viribus ſuperare.Statuimus & ordinamus,quod Camerarius communis debeat quolibet anno,ſub pœna v.carl in ſingulis infraſcriptis feſtis ſi contrafecerit,facere de pecunia hebreorum Priuerni fænerantium,ſi fæneratores huiuſmodi ibi habitauerint,ſin autem de pecunia cōmunis,in feſto natiuitatis S.Ioannis Baptiſtæ,vnum Brauium pro equis vnius cannæ panni floretti,coloris rubei.

Item in feſto ſanctorum Petri,& Pauli alium brauium eiuſdem quantitatis & qualitatis pro equis,coloris cœleſtis,vel pauonatii.

Item in feſto S.Thomæ de Aquino protectoris,aliud brauium pro pedeſtribus mediæ cannæ ſimilis panni.

Item in die Dominico carniſpriuii,vt moris eſt, vnum aliud brauium Iul.ſex pro currentibus ad annulum in platea cōmunis,qui currere debeant iuxta antiquum ordinem, vnus videlicet poſt alterum,& debeant equitare equum ſella paratum & fræno,& habere in manibus lanceam militarem,amoto quidem ferro,& ita currentes nō admittendi nihil lucrētur.

Item quod ad ſingula brauia ſupradicta percurratur per loca ſolita cum ſuis conſuetis conditionibus.

De Applicatione pœnarum.

STatuimus & ordinamus quod omnes & ſingulæ pœnæ impoſitæ & comminatæ in ſtatutis omnibus tam præcedentibus,quam ſubſequentibus,illis tamen damnorum datorum

exceptis

exceptis,de quarum applicatione ſuo loco dicetur,applicetur pro duabus partibus cõmuni Priuerni.& pro vna parte executori,ac pro alia quarta parte accuſatori,vbi de eis aliter ſpeciatim applicatio non exprimitur.

De Archiuio ſcripturarum Communis.

STatuimus & ordinamus,quod DD.Syndicus & Officiales ad tuitionem & conſeruationem iurium & ſcripturarum cõmunis,debeant habere & tenere in ſacriſtia collegiatæ eccleſiæ Beatæ Mariæ dictæ terræ vnum archiuium ligneum,non in formam capſæ,ſed in formam credentiæ eleuatæ,in quo archiuio recondãtur & includantur omnia inſtrumẽta publica,& aliæ quæcunq; ſcripturæ,tam publicæ,quam priuatæ,concernentia,& concernẽtes cõfinia,iuriſdictiones,immunitates,& alia iura,cõmunis,& populi Priuernatis,quæ perpetuo ibidem conſeruentur.Pro quibus manutenendis,& quando opus fuerit apprehendẽdis & leuandis,ſeruetur talis ordo videlicet.Primo inſtrumenta omnia & ſcripturæ huiuſmodi debeant inuentariari,& per modum inuentarii deſcribi in vno libello,in quo inuentario fiat mentio ſummaria de qualitate inſtrumenti ſuper quo tractat,& ſi ſit in pergameno,aut papiro ſcriptum.Similiter & inſtrumenta ipſa ac ſcripturæ ſint intitulata in dorſo, cuius ſint qualitatis vt ſupra.Inſuper habere debeant in dicto archiuio alium libellum. Et quando opus fuerit accipere aliqua ex inſtrumentis,ſeu ſcripturis ipſis pro quacunq; neceſſaria cauſa occurrente,accipi non poſſint,niſi cum interuentu DD.Syndici,Reſidentis,& Cancellarii cõmunis,qui Cancellarius annotare habeat in dicto libello conſignationem eorum,& cui,& quæ ſcripturæ,& ſub quo die conſignantur,& nunquam partita ipſa cancellari poſſit,ſub pœna falſi,vltra alias pœnas infraſcriptas,niſi reportatis ſcripturis,& niſi manu eiuſdem cancellarii,qui ſcribat in margine caſſandæ partitę hæc verba videlicet.Reportauit die N.quod affirmo ego N.Cancellarius.Et ſemper deſcriptus in dicta partita teneatur rationem reddere de ſcripturis habitis,donec eas reportauerit,& qui in præmiſſis & eorum ſinguli deffecerit,quinquaginta duc.pœna puniãtur,quotiens &c.Ac a qualibet dignitate & officio cõmunitatis perpetuo priuati & inhabiles ſint & eſſe intelligantur.

Item quod dictum archiuium habeat tres claues,quarum vnã habeat D.Archipresbiter dictæ eccleſiæ,aliam vero D.Camerarius pro tempore ſocietatis ſanctiſſimi Sacramenti,& reliquam D.Syndicus cõmunis,qui ſemper in aperitione archiuii interſint.

Item quod dicti DD.Syndicus & officiales debeant habere in palatio cõis vnam ſtantiã pro archiuio ſcripturarum,in qua conſeruantur omnes & ſinguli libri veteres & nõ currentes,filzæque & ſcripturæ,tam ciuilium,quã criminalium,& cancellariæ cõmunis,quæ ſcripturæ acõmodẽtur ita,quod ſint bene conditionatæ,tam per filzas appenſas,quam ſupra tabulas ad hoc præparatas,vt facilius præbeatur cõmoditas perquirendi cum opus fuerit. In qua ẽt ſtantia retineant vnum archiuium ligneum vt ſupra in præcedenti capitulo diximꝰ, in quo conſeruentur omnia prothocolla & inſtrumenta notariorum mortuorum, ac alii libri minus antiqui ciuilium & criminalium actorum,& aliæ ſcripturę quæ magis importantes videbuntur:& habeat huiuſmodi archiuium duas claues,quarum vnam retineat actuarius ciuilium pro ſuo intereſſe,alteram vero D.Syndicus pro tempore,ſub pœna duc.x.in quemlibet officialium non adimplentem.

STATVTORVM

Priuerni Liber Secundus, Super Ciuilibus.

De Citationibus per mandatarium faciendis.

STatuimus & ordinamus, quod Mandatarius habens citare aliquem in ciuilibus, primam citationem in cauſa faciat in propriam perſonã rei; Si vero perſona rei commode haberi non poſſit in ipſa prima citatione, citetur domi dimiſſa copia citationis alicui ex domeſticis; vbi vero domus clauſa fuerit, citetur dimiſſa cedula, ſeu copia dictæ citationis per affixionem ad hoſtium, alias citatio ipſa ſit nulla.

Item quod vbi citatur quis ad ſententiam, citetur etiam perſonaliter ſi cõmode haberi poterit, ſin autem per cedulam, vel copiam vt ſupra, aliter ſit & ipſa etiã nulla. Et in caſu citati domi modo & forma vt ſupra ad ſententiã, ipſoque non præſente, cum pronunciatur in cauſa, intimetur ei per mandatariũ forma ſententiæ in diffinitiuis, & ex tunc currat tempus contumaci appellandi ab ipſa ſententia. Reliquę vero citationes fieri poſſint tam perſonaliter quam domi per mandatarium.

Item quod mandatarius faciat omnes relationes, citationum, intimationum, & præſentationum quarumcunque coram notario, exprimendo ſemper ſi in propriam perſonam, aut domi eas fecerit, cum dimiſſione copiæ reſpectiue, vt ſupra, ſub pœna x. duc. & notarius ita ſcribat vt mandatarius refert, ſub eadem pœna.

Item quod notarius ciuilium, cum aliquid ſibi in ſcriptis porrigitur, faciat ſemper de eo mentionem in ſuo libro, ſub pœna vnius duc. deinde infilzet ad ſuum libitum cum interuẽtione a tergo vt moris eſt.

De ferijs & feriatis diebus, in quibus non redditur ius in curia ciuilium.

STatuimus & ordinamus, quod D. Poteſtas Priuerni in diebus feriatis infra poſitis nullũ ius reddat, nec aliquid decretum faciat in cauſis ciuilibus & curia ciuilium Priuerni, ſub pęna vnius ducati quotiens contrauenerit, & nihilominus acta & decreta quæcunq; in his diebus facta nulla ſint & nullitatis vitio ſubiaceant.

Dies feriati.

Ianuarius.

Epiphaniæ Domini	6
s. Antonii abbatis	17
s. Sebaſtiani martyris	20

Februarius.

Purificationis beatæ Mariæ	2
s. Blaſii epiſcopi	3
s. Matthæi apoſtoli	24

Martius.

s. Thomæ de aquino	7
Vnà cum duobus diebus ante & totidẽ poſt, in quibus fiunt nundinæ.	
s Benedicti abbatis	21

Aprilis.

s. Vincentii confeſſoris	5
s. Marci Euangeliſtæ	25

Maius.

Sanctorum Philippi & Iacobi apoſtolorũ cum vno die præcedẽti & alio ſubſequẽti, in quibus fiunt nundinæ.	1
Inuentionis s. Crucis	3
s. Bernardini confeſſoris	20

Iunius.

s. Barnabæ apoſtoli	11
s. Viti martyris	15
& a dicto die vſq; ad feſtum s. Iacobi apoſtoli menſis Iulii, quo tempore ſunt feriæ meſſium.	

Iulius.

Sanctorũ Iacobi apoſtoli, & Chriſtofori martyris.	25

Auguſtus.

s. Petri ad vincula	1
s. Laurentii martyris	10
s. Claræ virginis	12
Aſſumptionis beatę Mariæ	15
s. Matthæi apoſtoli	25

September.

Natiuitatis beatæ Mariæ virginis	8
A die exaltationis s. Crucis 14. ſeptẽbr. vſq; ad feſtũ s Michaelis archãgeli 29. eiuſdẽ quib⁹ diebus ſunt ferię vindemiarum.	

Octobe

October.
s.Franciſci confeſſoris 4
Conſecrationis collegiatæ eccleſiæ S.Marię de Priuerno. 5
Sanctorum Simonis & Iudæ apoſtolorũ 28
Nouember.
Omnium Sanctorum 1
Commemorationis omnium defunctorum videlicet de mane vſque quo fuerint diuina officia celebrata. 2
s.Martini epiſcopi & confeſſoris 11
Præſentationis beatæ Mariæ Virginis 21
s.Andreæ apoſtoli 30
December.
s.Nicolai epiſcopi & confeſſoris 6
s.Luciæ virginis & martyris. 13
s.Thomæ apoſtoli 21
A vigilia Natiuitatis domini 24. cum omnibus diebus vſque ad craſtinam Epiphaniæ excluſiue.
Mobilia.
Dies lunæ ante carnis priuiũ cũ die ſequenti
Dies Cinerum.
A die lunæ hebdomadæ ſanctæ vſque per totam hebdomadam Paſchatis ſequentis.
Rogationes generales videlicet de mane vſq; quo fiunt diuina officia celebrata.
Aſcenſionis domini.
Dies Pentecoſtes cũ duobus diebus ſequeñ.
Dies corporis Chriſti.
Omnes Dominicæ totius anni.

De modo procedendi & terminis dandis in cauſis ciuilibus.

STatuimus & ordinamus,quod omnes cauſæ ciuiles ſint & eſſe intelligantur ſummariæ,& in eis procedi debeat ſummariè, ſimpliciter,& de plano,ſine ſtrepitu & figura iudicii,ſeruatis tamen infraſcriptis modo & forma videlicet.Quod cauſæ nõ excedentes ſummã xx. carl & cauſæ miſerabilium perſonarum etiam dictam ſummam excedentes, cognoſcantur & terminentur per D.Poteſtatem & Iudicem ſine ſcriptis ſummarie,oretenus auditis partibus,ac etiam auditis teſtibus & oretenus cum iuramento examinatis quatenus opus fuerit, Declarantes,quod perſonæ miſerabiles intelligantur eſſe arbitrio D.Poteſtatis & Iudicis. Cauſæ vero dictam ſummam excedentes,cognoſcantur & terminentur via ordinaria porrecto libello,ſeu ſummaria petitione,citato reo,cui ſi præſens fuerit & copiam petierit,decernatur cum termino trium dierum,ad reſpondendum.Si vero reus abſens fuerit, tamen legitime citatus iuxta formam ſtatuti ſuperius poſiti,decernatur eidẽ abſenti & contumaci copia prædicta cum intimatione,quam actor procuret fieri ipſi reo cum trãſmiſſione copiæ dicti libelli,quam copiam actuarius teneatur eodem die actori tradere,ſoluta ſibi competenti mercede,ſub pœna v.carl.Copia vero prædicta ſemper fiat expenſis actoris, in reliquis autem copiis ſemper tradantur expenſis petentis.Elapſo autem termino prædicto triũ dierum,reo non comparente ad reſpondendum petitioni,citetur reus pro prima die iuris ad videndum pronunciari litem haberi pro conteſtata,& D.Poteſtas & Iudex ad partis inſtantiam pronunciet litem haberi pro conteſtata,& terminum ſtatuat vtriq; parti quinque dierum ad probandum incumbentia cum intimatione,in quo termino probatorio producantur poſitiones & articuli,inſtrumenta,& alia iura,pro verificatione petitorum , & ſi petatur reſponderi per partem aduerſam poſitionibus,per verbum credit,vel non credit , cogantur principales reſpondere,& in ipſorum cõtumaciam,facta bina monitione vt debeãt reſpondere,pronuncietur contumax haberi pro confeſſo,aut poſitiones haberi pro cõfeſſis & poſtea citetur idem reus,pro prima die iuris,ad videndum relaxari mandatũ executiuũ, ſeu alias ad ſententiam iuxta cauſarum qualitatem.In quo termino D.Iudex, aut executionem relaxet,aut ſententiam proferat,& ad illius executionem procedat.Poſſit tamen reus poſt dictam ſententiam,ſeu mandatum executiuum relaxatum,refectis tamen expeñ.audiri in iuribus ſuis,ſcilicet intra terminum trium dierum,tamen non admittatur,niſi facta prius reſponſione dictis poſitionibus.Et ſi poſitiones ipſæ negatæ fuerint,inducantur teſtes cum eorum aggrauamine & examinatis iuris ordine ſeruato,dato prius termino duorũ dierũ reo ad dandum interrogatoria,ſi voluerit.Et ipſis teſtibus examinatis,publicentur dicta teſtium cum toto proceſſu,& copia volentibus tradatur,cum termino trium dierum ad opponendum,& excipieñ.cum intimatione.Et datis exceptionibus, ſeu oppoſitionibus in dicto termino ab aliqua parte,detur terminus triũ aliorũ dierum alteri parti ad replicandum. Aliqua vero dictarum partium nihil opponente vt ſupra D. Poteſtas & Iudex ad alterius partis inſtantiam ſtatuat terminum trium dierum vtrique parti ad dicendum & allegandũ quicquid volunt & poſſunt,cum intimatione parti abſenti.Quo termino elapſo ,& aliqua

parte

parte inſtante,concludatur in cauſa cum termino trium dierum ad allegandum in iure, & eo elapſo D.Poteſtas & Iudex proferat ſententiam,& cauſam expediat.Liceat tamen eidẽ D.Iudici terminos antedictos coarctare,ſeu dilatare,aut alios concedere arbitrio ſuo iuxta cauſarum qualitatem.Notandum tamen quod etiam quibuſcunque terminis elapſis, pars ſemper intelligatur eſſe in tempore,vſque quo non fuerit per decretum iudicis excluſa.

De Appellationibus.

STatuimus & ordinamus,quod appellationis remedium nulli denegetur,præterquam in caſibus in quibus de iure communi,aut ex forma ſacr.conſtitutionum appellari nõ licet, & quæcunq; appellationes interponi poſſint a quibuſcunq; ſententiis diffinitiuis, interlocutoriis,aut præceptis & grauaminibus iudicialibus,& valeat appellatio viua voce etiam nõ incontinenti,& ſolo verbo facta,etiam ſine aliqua ſcriptura,& poſſit etiam per teſtes probari,nec requiratur de neceſſitate aliqua petitio apoſtolorũ,& valeat & teneat appellatio, ac ſi in ſcriptis eſſet interpoſita.Et Iudex denegans appellationem legitime interpoſitam aut eã nõ admittẽs,puniatur pœna xx duc.& nihilominus appellatio ipſa legitima teneat.

Sed is qui ab interlocutoria voluerit appellare,intra triduum a die pronunciationis debeat apellare,& deinde intra octo dies inhibitorias præſentare,& partem citare Cauſæ vero cognitionis in præmiſſis proſecutio erit vtilis appellanti intra menſem a die appellationis præfatæ.Quibus elapſis ſingulis præfatis terminis cauſa erit deſerta. Idem dicimus in appellatione a mandato,ſeu præcepto. Is vero,qui a diffinitiua ſententia,ſeu decreto vim diffinitiuæ habente animum duxerit appellare,intra decem dies a die latæ ſententiæ debeat appellare,& inhibitorias intra xx.dies continuos poſt interpoſitam appellationem præſentare,faciendo citare aduerſarium,& ſe in dicto citationis termino,vel in ipſum terminum præſentando.Cauſæ vero proſecutio,tam in ciuilibus,quam criminalibus fiat intra terminum per præfatas conſtitutiones expreſſum.Quibus ſingulis terminis vt ſupra elapſis cauſa deſerta iudicetur.Poſt autem interpoſitam appellationẽ & in proſecutione cauſæ, liceat cuicunque appellationi abrenunciare,cum refectione tamen expenſarum appellato Et idẽ termini ſeruentur in cauſis nullitatum,reſtitutionis in integrum,ac recurſus ad arbitrium boni viri,iuxta formam ſacr.conſtitutionum præfatarum.

De executione Inſtrumentorum & Chirographorum.

STatuimus & ordinamus,quod in quibuſcunque cauſis,vbi apparent publica inſtrumẽta, aut chirographa legitime facta,detur ſolummodo terminus reo quinq; dierum ad dicendum,ſeu excipiendum contra,in quo termino non admittantur aliæ exceptiones, niſi ſolutionis,nouæ conuentionis,& falſitatis,quæ omnino in ipſo termino allegari & probari debeant:quo elapſo & præmiſſis non oppoſitis,ſeu oppoſitis & nõ probatis, cogantur debitores realiter & perſonaliter ad ſoluendum debitum,& præmiſſa ſeruentur etiam in contumaciam rei cum intimatione.Et quia multoties contingit,quod in commodato nõ fiunt publica inſtrumenta,neque chirographa,ſi commodatum negatum fuerit, & poſtea probatum per duos teſtes fidedignos,ſeruetur in commodato ipſo eadem forma, quã ſupra diximus. Et in cauſa mutui,commodati,& depoſiti,nullus detur terminus ad reluendum pignus,niſi D.Iudici ex benignitate videatur ſtatuere aliquod breue terminum arbitrio ſuo.

De condemnationibus Contumacialibus & audiendis reis contumacibus.

STatuimus & ordinamus,quod liceat cuilibet creditori conuenire ſuum debitorem per viam contumaciarum,& eo legitime citato,iuxta formam ſtatuti tribus vicibus,ac accuſatis debitoris tribus contumaciis continuis,procedatur contra eum ad executionem,tam realem, quam perſonalem.Et ſi contra aliquem,tam per modum præmiſſum,quam aliter fuerit relaxatum mandatum executiuum,ſeu commiſſa executio in contumaciam,& ſic ad ablationem pignoris deuẽtum,poſſit reus ſatisfacere creditori legitimas expenſas,& remanente executione in terminis in quibus reperitur,cauſam proponat contra creditorẽ,in quo caſu ſummarie arbitrio iudicis procedatur ſine terminorum obſeruatione,ſtatuto aliquo in hoc non obſtãte.Sed ſi ad pignoris ablationem non fuerit deuentum,contumax debitor expenſas legitimas ſuo creditori reficiat & ſe defendat iuxta formam ſtatuti. Vbi vero reficiuntur expenſæ per contumacem vt ſupra,& creditor

eum denuo citari curauerit,ſi iterum in prima citatione ſuper eadem cauſa contumax fuerit debitor, procedatur in ipſa prima citatione ad executionem & de cætero nõ audiatur ad ſe defendendum. Similiter & pignus ablatum vt ſupra reſumat vires ſuas,& ad vlteriora procedatur in caſu prædicto,& termini forſan ad reluendum dati proſequantur,& currant marte ſuo.

De cauſis mercedum & earum præſcriptione.

STatuimus & ordinamus,quod in cauſa mercedis citato legitime debitore perſonaliter, ac in prima citatione præſtito per actorem iuramento ſe eſſe creditorem in ſumma petita, habeat executionem paratam. Si vero perſonaliter haberi non poterit,precedente trina citatione cũ contumaciis continuis vt ſupra diximus,habeat ſimilem executionem paratam. Et quando mercedes petitæ non excedunt ſummam quinq; carlenorum,ſufficiant duæ cõtumaciæ continuatæ ad executionem obtinendam,& pignora in hoc vendantur de facto abſque aliquo termino ad reluendũ, & alia iudicis licentia. Quod etiam locum habeat in vecturis,ſeu locationibus iumentorum. Mercedes vero omnes pro tempore præſcribantur videlicet. Mercedes operarum diurnarum ſpatio duorum menſium præſcribantur. Aliæ vero mercedes quæcunq; a carl. x. infra ſpatio ſex menſiũ præſcribantur,& a dicta ſumma vſque ad ducatos quinq; de carlenis per annum,& abinde ſupra vſq; ad quamcunq; ſummam per biennium præſcribantur.

De terminis dandis ad ſoluendum & reluendum.

STatuimus & ordinamus,quod ſecundum debiti quantitatem Iudex præfigat terminum arbitrio ſuo debitori conuento ad ſoluendum,ſi a ſuo creditore illum non habuerit extra iudiciũ, ſed ſi extra iudicium iudici legitime conſtiterit terminum datum fuiſſe debitori per ſuum creditorem,tunc ad executionem procedat. Si vero debitor pignus obtulerit,ac dederit,aut ab executore captum fuerit,tunc D. Poteſtas & Iudex terminos ad reluendum pignora præfigat debitoribus citatis cum intimatione,ſi fuerint contumaces,iuxta debitorum quantitatẽ prout infra,vid.

Si ſumma debiti fuerit carl. quinq; & infra,terminus erit quinq; dierum ad reluendum.

A carl. quinq; vſque ad decem incluſiue terminus erit x. dierum.

A decem carlenis vſq; ad viginti incluſiue terminus erit quindecim dierum.

A viginti carl. vſq; ad centum terminus erit vnius menſis continui a die dati termini prædicti.

Abinde vero ſupra vſque ad quamcunque ſummam,terminus præfigatur duorum menſium ad reluendum continuorum.

Liceat tamen D. Iudici breuiare dictos terminos ad reluendum ſecundum qualitatem debitorum,ſi cognouerit illos eſſe ſoluendo,& calumnioſe petere dictas dilationes. Quo termino elapſo citetur debitor ad videndum ſubhaſtari pignus ſecundum ſtilum curiæ,& plus offerenti deliberari,aut ſi opus fuerit creditori adiudicari,iuxta formam iuris. Sed ſi ante lapſum terminorum prædictorum citatus fuerit debitor ad videndum ſubhaſtari pignus,totum tempus ad reluendũ, & terminus ei datum duplicetur.

De creditoribus poſt ſubhaſtatum pignus.

STatuimus & ordinamus,quod creditor,qui ſui debitoris pignus ſubhaſtari fecerit,& plus offerenti poſt tertiam ſubhaſtationem de ſtilo curiæ deliberari,debeat deducta ſorte principali,& expenſis legitime factis,ſuperantem pecuniam intra biduum poſt deliberationem factam,debitori per mandatarium mittere conſignandam,ſub pœna dupli ſuperatæ vt ſupra pecuniæ. Qui mandatarius in actis curiæ referat actum,inſtante creditore,ſub eadem pœna. Quam pecuniam ſi ipſe debitor renuerit,depoſitetur pecunia ipſa penes notarium ciuilium. Quod quidem depoſitũ ſcribatur in actis per ipſum notarium,conſignandum ſucceſſiue aliis in officio ſuccedentibus notariis,per modum inuentarii cum annotatione ipſius in dictis actis,quouſque ſolutum fuerit debitori,aut hæredibus ſuis,ſub pœna x. duc.

De pignoribus ſubhaſtatis & deliberatis reluendis.

STatuimus & ordinamus,quod debitores domini pignorum quorumcunq; ſubhaſtatorum & deliberatorum,poſſint & valeant,ac eis liceat pignora ipſa ab emptoribus redimere, pro eodem pretio intra triduum,a die deliberationis computandum, exceptis debitis Camerariis, in quibus nullam habeant facultatem redimendi.

De petentibus plus debito,& debitum iam ſolutum.

STatuimus & ordinamus,quod ſiquis plus debito quantum ad quantitatem a ſuo debitore petierit coram iudice,& de eo legitimam ignorantiæ cauſam non habuerit,ſtatim cadat a toto eo debito ob eandem cauſam. Petens vero ſolutum debitum,ſi vt ſupra legitimã ignorantiæ cauſam non habuerit,puniatur pœna debiti per eum petiti corã iudice & parti expenſas reficiat.

F De libris

De libris Mercatorum & Aromatariorum.

STatuimus & ordinamus, quod omnium & ſingulorum mercatorum liber fidedignus in credentiis habeatur & ſit, ſed ante omnia tales mercatores debeant præſtare cautionē idoneam de fideliter & legaliter exercendo mercaturam, ſub pœna ſcutorum ducentorum Cameræ Priuerni applicandorum, quæ ſcribatur in principio cuiuſlibet libri dictorum mercatorum. Vlterius ſingulæ chartæ dicti libri ſint cartulatæ, & liber ipſe contineat ſingularum rerum partitas diſtinctas, in quibus ſcribendis apponatur dies in nomine, & in numero, & menſis & annus videlicet. Adi primo di Luglio ſabbato 1570. in quibus partitis deſcribantur res venditæ & cui, quanti, & quotæ, & quales ſint res ipſæ venditæ, & terminus ſolutionis, numerus vero pecuniæ ſignetur; iterum in margine (vt moris eſt) poſt deſcriptionum præmiſſorum. Et tempore venditionis, ſeu conſignationis dictarum rerum interueniat ſaltem vnus teſtis, nomenq; illius in quolibet poſta, ſeu partita ſcribatur & notetur. Sint præterea mercatores ipſi bonæ conditionis & famæ, & poſſideant Priuerni vel in eius territorio bona ſtabilia; Sin autem, duo teſtes in qualibet partita vt ſupra interueniant & deſcribantur. Quo vero ad ordinem partitarum huiuſmodi, ſemper ſint partitæ ipſæ deſcriptæ in ſiniſtra pagina libri aperti, habente duas margines in albo conuenientes ipſi libro, ex toto folio. In dextera autem pagina nihil ſcribatur præter ſolutiones debitorum, quæ ſingulæ contra ſingulas partitas deſcribantur, ſub quo die menſe & anno vt ſupra, deſcribatur etiam numerus pecuniæ, & ita ordinatus liber plenam fidem faciat. Alias dictis ſolennitatibus, vel aliqua ipſarum deficientibus, nullam fidem faciat liber præfatus.

Item quod vbi aliquid falſi in libro præfatorum mercatorum, aut receptum per eos, & non ita vt præmittitur deſcriptum, repertum fuerit coram iudice, ſi is liber in aliqua partita etiam vnica conuictus fuerit de falſo, omnes partitæ & totus liber, reddantur falſæ & falſus, & nullam habeant exactionem, & Mercator committens falſitatem de falſo puniatur. Si vero quatuor partitę fuerint ſolutæ a debitoribus, & ſolutiones non fuerint in libro deſcriptæ, in alia pagina modo præmiſſo, totus liber ipſe nullam fidem mereatur in ſingulis illius partitis, tamen mercator de falſo non puniatur.

Et quod ordinauimus in libris mercatorū, idem ſtatuimus & ſeruari mandamus in libris Aromatariorum, præterquā quod nō teneatur dexteram paginam eorum librorum albam relaxare, & quod loco teſtis in rebus dandis ſeruetur receptarium, ſeu receptæ in cartulis deſcriptæ, conforme & conformes partitis in libro deſcribendis. Quod receptarium & receptæ manu medici omnino deſcriptæ, vel ſaltem ſubſcriptæ eſſe debeant. Et vbi receptarium vel in filza aliquid diſpenſatum per modum (vt dicunt) receptæ non reperitur, tunc & eo caſu Aromatarius apponat ſaltem vnicum teſtem vt ſupra de mercatore diximus. Quittantias vero de receptis, aut in margine, aut in fine partitarum ſolutarum facere, & partitas ipſas ſolutas omnino caſſare teneatur.

De Præſcriptionibus.

STatuimus & ordinamus quod omnes actiones ad exigendas pecunias & credita credentiarū, vel alia ex quacunq; cauſa debitas & debita, ſpatio decem annorum præſcribantur, ſalua exceptione abſentiæ & legitimæ ignorantiæ, & aliis exceptionibus de iure competentibus. Quod declaramus non procedere in contractibus iuratis, in quibus ſeruetur diſpoſitio iuris communis.

De famulis in ſeruitium dominorum aſſumptis.

STatuimus & ordinamus, quod famulus quicunq;, qui alicui ciui Priuernati operas ſuas locauerit, ſi non ſteterit conditionibus in contractu appoſitis, tam ſeruitia, quā tempora locationis huiuſmodi concernentibus, vltra pœnas conuentionales ſalarium perdat, niſi legitima cauſa excuſetur.

Item ſi famulus ante tempus conuentum aufugerit, vel diſceſſerit a ſeruitiis poſt receptum ſalarium a ſuo domino, ſalarium lucratum domino reſtituat, & pœna x. duc. puniatur.

De Notariis publicis, qui Prothocollum faciant.

STatuimus & ordinamus, quod quilibet Notarius publicus, qui in terra Priuerni commorabitur, debeat rogatus & requiſitus accedere ad recipiendum quoſcunq; licitos & rationabiles rogitus, ſiue contractus, & præſertim appellationum, tam in ciuilibus, quām in criminalibus media mercede, eoſq; deſcribere in Prothocollo per eum ad id ordinato, ſub pœna x. ducatorum, ac damni inde ob non acceſſionem & deſcriptionem vt ſupra emergentis.

Item quod requiſitus ab eo, qui in materia, ſuper qua rogitū fecerit, aliquod intereſſe habuerit ad inſtrumenta publica conficiendum, teneatur ea conficere in debitum tempus & requirenti conſignare, ſub pœna vt ſupra.

Item quod Notarii antedicti recipiant mercedem pro rogitibus prædictis in eorum prothocollis deſcribendis, necnon pro inſtrumentis publicis dandis, prout in tabula, ſeu taxatione ſuo loco poſita & non vltra, ſub pœna vt ſupra.

Item quod notarii ipſi teneantur & debeant prothocollum conficere de omnibus & ſingulis rogitibus, inſtrumentis, & contractibus quibuſcúq; ab eis pro tempore recipiendis, quos & quæ in prothocollis ipſis, ſeu libris ligaris, non autem in foliis, ſeu chartis ſolutis, deſcribere etiam teneantur, ſub pœna duc. x. pro quolibet rogitu, ſeu contractu ſic vt ſupra non deſcripto.

Quod venditor emptorem & ſucceſſores in re defendat.

STatuimus & ordinamus, qnod venditores, aut alii auctores, qui de iure de euictione tenentur, quotieſcunq; mota fuerit aliqua lis emptoribus, vel aliis ſucceſſoribus, & lis ipſa legitime denunciata & intimata fuerit, teneantur in ſe ſuſcipere onus litis huiuſmodi, & illam proſequi vſque in finem, indemneſq; releuare emptores, ſeu alios ſucceſſores, ſuper rebus in quibus mora eſt lis, & emptores, ſeu ſucceſſores ipſi non teneantur, ſi noluerint, litem ſuſcipere, neq; proſequi. Alias ſi uenditores, aut auctores noluerint onus litis ſuſcipere, & ſuos ſucceſſores defendere, lis currat ipſorum periculo & expenſis, & in caſu ſuccumbentiæ de euictione teneantur.

Quod DD. Syndicus & Officiales non procurent in palatio communis pro priuatis.

STatuimus & ordinamus, quod nullus DD. Officialium, nec Syndicus generalis communis Priuerni procuret pro alio priuato in Cu. communis prædicti, aut aliquid exponar, quod litis defẽſionem concernat, ſine licentia D. Poteſtatis, ſub pœna duorum duc. quotiens, &c.

De cautione præſtanda per forenſes litigantes cum ciuibus.

STatuimus & ordinamus, quod ſi aliquis forenſis non ſubiectus iuriſdictioni D. Poteſtatis Priuerni, cuiuſcunq; ſtatus, aut conditionis exiſtat, litem mouerit contra ciuem Priuernatem in Cu. Priuerni, Iudex & Poteſtas dictæ terræ non debeat ipſum non ſubiectum audire, niſi primo & ante omnia dederit cautiones idoneas de ſtando iuri, & iudicatum ſoluendo, & de reficiendo expenſas in caſu ſuccumbentiæ, & ſi Poteſtas & Iudex contrafecerit, pœna duorum duc. puniatur.

Quod ciues non aduocent neque procurent contra communitatem pro forenſibus.

STatuimus & ordinamus, quod nullus ciuis Priuernas audeat aduocare & procurare pro forenſibus qnibuſcunq;, etiam ſi eſſent Barones, contra communitatem Priuerni, ſub pœna quinquaginta duc. quotiens, &c. Præterquam in cauſis damnorum dat. in quibus liceat patrocinari, etiam ſi communitas haberet intereſſe.

De cauſis inter conſanguineos.

VT, quantum poſſumus, odia inter conſanguineos reſtringamus, quæ aſperiora ex longa litium continuatione ſæpius efficiuntur. Statuimus & ordinamus, quod in cauſis quibuſlibet ciuiliter cognoſcendis inrer conſanguineos & affines, uſq; ad tertium gradum de iure canonico, ſi ante litem conteſtatam ab una ex partibus petitum fuerit compromiſſum, D. Poteſtas cogat alterã partem ad compromittendum cauſas ipſas in unum aut duos arbitros communiter eligendos, qui poſtquã electi fuerint, cogantur ad acceptandum compromiſſum, & teneantur cauſam expedire intra menſem. Et ut ſimiles cauſæ intra dictum terminũ expediantur, D. Poteſtas tranſactis xx. diebus dicti compromiſſi cogat eoſdem arbitros, parte petente, ad cauſas ipſas expediendas ante lapſum dicti menſis, etiam per eorum perſonalem detentionem in palatio communis. Et caſu quo cauſæ ipſæ intra menſem non fuerint per arbitros expeditę & terminatæ, non poſſint partes ulterius cogi ad confirmandum compromiſſum, ſeu de nouo compromittendum, ſed debeãt adire iudicem ordinarium, qui tam ex actis factis coram arbitris, quam aliis faciẽdis, poſſit cauſas decidere. Et poſt litem conteſtatam coram iudice ordinario, non poſſint partes cogi ad compromittendum.

De contractibus mulierum & minorum.

VT Minorum & Mulierum fragilitati ſuccurratur, Statuimus & ordinamus, in quibuſcunque alienationibus & obligationibus, ac renunciationibus Minorum, & Mulierum etiam maiorum, ſub qnacunq; forma contractuum, uel uerborum a minoribus, & mulieribus factis, debeant interuenire corporale iuramentum minorum & mulierum, ſcientia & interuentus duorum proximiorum conſanguineorum, vel ſaltem affinium, ſi conſanguinei non aſsiſtanr, aut D. Syndici vel D. Reſidentis Officialis communis pro tempore, loco dictorum attinentium, quatenus nõ inueniantur, & decretum competentis iudicis, alias ſolennitatibus ipſis non ſeruatis, ſupradicti contractus ſint ipſo iure nulli, & fingantur ac præſumantur metu ac dolo extorti, & nihilominus cõtrahens cum minotibus & mulieribus contra formam ſuperius annotatam iudicis arbitrio puniatur.

De fidem frangentibus in ſponſalibus.

STatuimus & ordinamus, Vt promiſſiones in ſponſalibus factæ de matrimoniis cõtrahendis metu pœnæ obſeruentur, quod ſi fuerint celebrata ſponſalia, tam ab ipſiſmet ſponſis, quam ab ip-

ſorum parentibus,ſeu fratribus,aut aliis coniunctis pro eis promittẽtibus,teneantur promisſio nes obſeruare,& matrimonium celebrare,alias teneantur ſoluere tertiam partem dotis conuentæ parti obſeruanti,& expenſas factas dicta de cauſa.Et promittentes pro aliis, non excuſentur allegando per ſe non ſtare.ſed per ipſos ſponſos qui nollent forſan matrimonium contrahere, in quem caſum ſi promisſores probauerint de cõſenſu ſponſi.ſeu ſponſæ celebraſſe ſponſalia & promiſiſſe,dicti ſponſi teneãtur ipſos promiſſores releuare indemnes a dicta parte dotis & expenſis,

De ſolutione per Macellarios ſuis creditoribus facienda,ſimiliter & caupones,& econuerſo.

STatuimus & ordinamus,quod is,qui Macellariis aliquas beſtias ad vſum carnium vendiderit, eos non poſsit in iudicio conuenire ante quartum diem a venditione & traditione beſtiarum. Sed poſt quartum vt ſupra diem,ſi Macellarius debitor vt ſupra conuentus fuerit in iudicio a ſuo creditore,non diſcedat de palatio ſine conſenſu creditoris,ſub pœna dupli eidem creditori de ſuo ſoluenda;aut ſi contumax non comparuerit citatus,habeat executionem cõmiſſam ſine vlla alia citatione,cuius & habita pignora ſubhaſtentur,& ad ſtatim plus offerenti deliberentur, ſine aliqua alia ſolennitate, aut termini ad reluendum prefixione,quem ordinem etiam ſeruari ſtatuimus,cum macellarii carnes alicui,aut coria vendiderint,ſi intra quartum diem eiſdem ſatisfactum legitime non fuerit.Et quod ordinauimus in præmiſsis contra macellarios & econuerſo pro eiſdem,ordinamus etiam contra caupones & pro cauponibus.

De cauſis terminandis & decidendis.

STatuimus & ordinamus,quod iudex poſt obſeruationem terminorum iuxta formam ſtatutorum ad inſtantiam petentis actoris,vel rei,intra x.dies(ſi feriæ,aut aliquod legitimum impedimentum non obſliterit)ſententiam profetat diffinitiuam,ſub pœna vt ſupra de poteſtate & iudice loquente per ordinem appoſita,& intereſſe parti inſtanti emendet de ſuo.

De cauſis inter ciues & forenſes.

SIquis forenſis peteret in terra Priuerni iuſtitiam miniſtrari contra aliquem ciuem, vel incolã, prætextu alicuius fideiuſsionis,vel aliqua quauis cauſa,teneatur ciuis,vel incola reſpondere ei coram Poteſtate & Iudice.Qui Poteſtas & Iudex teneatur proprio eorum iuramento quanto citius poterit expedire ſummarie,ſtatuendo terminum ſemel,bis,vel ter in die, & quoties videbitur opportunum nullo iuris ordine ſeruato.Et in omnibus aliis cauſis ciuilium prædictorum forenſium iudex communis ſuo arbitrio dilationes & terminos dare poſsit & ſtatuere,concilio vel ſtatuto aliquo non obſtante.Et quicquid fecerit vel pronunciauerit in præmiſsis,pro lege ſeruetur.Et ſi ciuis citatus contumax fuerit,tunc accuſatis tribus illius contumaciis per creditorem forenſem,cum interuallo vnius horæ de vna ad aliam contumaciam,præmiſsis etiam tribus citationibus,D.Poteſtas ad executionem,& pignorum ſubhaſtationem,ac totalem debiti ſatisfactionem,contra debitorem procedat.

De Iuramento litis deciſiuo.

STatuimus & ordinamus,quod cauſæ quęcunq; poſsint terminari & decidi per iuramentũ litis deciſiuum,ab altera partium propoſitum,& pars cui fuerit data electio iurandi,vel referendi, teneatur iurare vel referre,alias habeatur pro conuicto, & hoc locum habeat quando ab vtraq; parte ſciri poteſt veritas rei,de qua agitur.

De interrumpentibus colloquia ante tribunal.

STatuimus & ordinamus,quod nullus ſiue actor ſiue reus,aut aliqua alia tertia perſona, audeat interrumpere,tam colloquentem iudicem ad iura reddendum ſedentem,quam alium quemcunq; coram eo iura ſua dicentem,ſub pœna vnius carleni de facto ſoluendi,

Item quod nullus, tam actor,quam reus,procurator,ſeu aduocatus,aut aliqua quæuis perſona narret & dicat aliquid iudici cum ſederit vt ſupra,niſi reuerẽter & capite detecto,ſub pœna prædicta. Siquis autem tribunal ipſum,ideſt banchum iuris,dum ſederit iudex,tetigerit,ſeu clamoſũ aliquid dixerit in iudicio,eadem pœna puniatur,a qua excuſentur minores xiiij.annis,& fœminæ propter incapacitatem vrbanitatis.

De ſuſpitione fugæ.

STatuimus & ordinamus,quod ſiquis in terra Priuerni aliquem exterum ſuum debitorem allegauerit ſuſpectum de fuga,dummodo ſumma debiti excedat carl.v.admittatur ad iuramentũ ſuſpitionis,concurrentibus tamen infraſcriptis,videlicet.Quod prius conſtet de debito coram iudice,ſaltem ſummarie per teſtes,aut ſcripturas,& quod debitor ſit obligatus ſoluere in terra Priuerni,& tempus ſoluendi ſit elapſum,& ſi debitor quamuis Priuerni ſoluere non teneatur, deteriorauerit conditionem ſuam,poſsit etiam ſuſpectus de fuga allegari.Quod ſtatutum etiã locum

habeat

habeat in ciuibus Priuerni non poſsidentibus immobilia in dicta terra, & quod ſint ſuſpecti de fuga, de qua ſuſpitione ſtetur iuramento creditoris, & expenſæ contra debitorem ciuem faciendæ in præmiſsis fiant ſumptibus creditoris, dummodo poſt capturam legitime non conſtiterit ipſum fuiſſe de fuga ſuſpectum. Qui debitores omnes in caſu prædicto data cautione de ſtando iuri & iudicatum ſoluendo relaxentur.

De ceſſione bonorum.

STatuimus & ordinamus, quod volens ad beneficium ceſsionis bonorum admitti, debeat ante omnia coram iudice citare omnes ſuos creditores certos perſonaliter, vel domi, ſi perſonaliter reperiri non poterunt, incertos autem ac forenſes ad feneſtras palatii communis more ſolito forenſium, & deinde in actis curiæ indicare omnia ſua bona & debita, quibus peractis Mandatarius ad feneſtras palatii ſono tubæ præcedenti proclamet alta voce denunciãdo, qualiter talis N. cedit bonis ſuis, & his ſeruatis ad beneficium ceſsionis admittatur, alias ceſsio huiuſmodi non valeat. Declarantes, quod quandocunq; talis debitor cedens ad pinguiorem deuenerit fortunã, teneatur creditoribus ſatisfacere.

De iure congrui, & de rebus ſtabilibus forenſibus non alienandis.

STatuimus & ordinamus, quod nulla perſona rem ſtabilem vendituta eã alicui vendere audeat, niſi prius requiſitis hinc inde vicinis quibus res ipſa congrua fuerit, & illis denunciato pretio, quo rem ipſam vere eſt venditurus, & nihilominus res aliter vendita ſine huiuſmodi requiſitione redeat in arbitrium dictorum vicinorum, videlicet cui magis congrua fuerit, qui vicinus poſsit & valeat illam vendicare contra poſſeſſorem pro eodem pretio quo vendita fuit. Pretium vero a priore emptore ſolutum eidem ſoluatur, ſeu reſtituatur integrum; quæ denunciatio fieri poſsit, vel ab ipſomet venditore cum præſentia duorum teſtium, vel per mandatarium communis, etiã ſine teſtibus, & vicinus requiſitus habeat terminum x. dierum poſt ipſam denunciationem, ad deliberandum & declarandum, an velit emere. Quo termino elapſo, vlterius non audiatur, & ſit in arbitrium domini vendere rem ſuam cui voluerit. Declarantes quod ius congrui nullo modo cõpetat forenſibus vicinis emere volentibus. Et ciues priuernates ac forenſes poſsidentes priuerni, aut in eius territorio, uendere uolentes, non poſsint uendere forenſibus aliquo modo, niſi prius requiſitis ciuibus Priuerni uicinis, ſi adſint. Iuxta formam præmiſſam. Vicinis autem ciuibus non exiſtentibus, aut illis renuentibus, tunc requirere debeant alios Priuerni ciues, etiam remotos per proclamata, bis in duobus diebus feſtiuis publicanda a præcone communis in locis ſolitis alta & intelligibili uoce. Et uenditio aliter facta nulla ſit ipſo iure, & uendens puniatur pœna decem ducatorum; & ſit in arbitrio ciuium uicinorum dictam rem pro eodem pretio emere, quibus non exiſtentibus, aut nolentibus, alii ciues etiam remoti habeant arbitrium emendi. Permutationes autem, aut donationes factæ in fraudem iuris congrui ſint ipſo iure nullæ.

De repreſalijs contra Ciues.

STatuimus & ordinamus, quod quotieſcunq; mittuntur literæ comminatoriæ repreſaliarum ad inſtantiam forenſium contra ciues Priuernates, D. Poteſtas, ſeu D. Reſidens, ad quem literæ diriguntur, debeat illas per mandatarium intimari facere ei, contra quem mittuntur, qui mandatarius referat in ſcriptis a tergo literarum præſentationem earum factam, & poſtea Cancellarius illas infilzet, & ſi talis debitor non prouiderit, ac aliæ ſecundæ literæ aduenerint, tunc D. Poteſtas talem debitorem coram ſe comparere faciat, & ſi cauſam legitimam, cur ſoluere nõ teneatur, non allegauerit, tunc debitorem ipſum, ſi D. Poteſtati videbitur, retineat, aut cogat ad dandũ idoneas cautiones de eundo ad concordandum creditorem intra aliquem breuem terminum, ſub pœna v. duc. tam in D. Poteſtatem, quam D. Reſidentem & mandatarium negligentes. Et ſi debitor cauſam rationabilem allegauerit, tunc D. Poteſtas reſcribat cauſas & rationes, ex quibus nõ tenetur ipſum mittere. Et in euentum in quem aliquis ciuis fuerit repreſaliatus pro prætenſo debito alterius ciuis, aut iuſte, aut iniuſte, teneatur ille, ob cuius cauſam fuerit aliquis repreſaliatus, reficere damna omnia & intereſſe dicto repreſaliato, qui repreſaliatus cedat actiones ſuas dicto prætenſo debitori, vt poſsit recurrere contra iniuſte repreſaliantes de iniuria, ac de omnibus damnis expen. & intereſſe propterea paſsis.

Quod Chriſtianus non conueniat iudæos in eorum feſtis, nec econtra.

STatuimus & ordinamus, quod Chriſtianus nullo modo audiatur in ciuilibus contra iudæos in eorum feſtis, etiam ſi ea vana ſint, & Iudex qui Iudæos contra Chriſtianos die feriato audierit ex quauis cauſa, puniatur pœna x. duc. inter accuſatorem & cõmune æque diuidendorum in eius ſyndicatione.

De ſuc-

De ſucceſſione impuberum.

STatuimus & ordinamus, quod ſi aliquis pater moriatur ab inteſtato relictis filiis impuberibus, ad quos bona paterna trāſmittuntur, ſi poſtea contigerit aliquem ex dictis filiis impuberibus decedere in pupillari ætate, ſuccedant alii filii ſuperſtites, penitus excluſa matre. Si omnes vero morerentur in pupillari ætate, tunc vltimo morienti ſuccedat mater ſuperſtes in tertia tantum parte dictorum bonorum, in reliquis vero duabus partibus ſuccedant proximiores cōſanguinei dictorum impuberum ex latere patris, qui ſint de cippo domus paternæ, vſque ad tertium gradū incluſiue de iure ciuili computandum, & non vltra. Et ſi non fuerint conſanguinei de cippo patris vſque ad dictum tertium gradum, ſuccedat in totum Mater, & ea prædefuncta, ſuccedant alii proximiores legitimi prout de iure indifferenter, ſiue de linea materna, ſiue paterna.

Et econuerſo ſi aliqua mulier deceſſerit ab inteſtato relictis filiis impuberibus, ſi contigerit aliquem ex dictis filiis mori in pupillari ætate, ſuccedāt in bonis maternis alii filii ſuperſtites vnà cum patre pro æquali portione in capita, Illis vero omnibus in dicta pupillari ætate decedentibus, tunc vltimo morienti pater ſuccedat in totum. Patre vero & aliis fratribus dicti pupilli vltimo loco decedentis non exiſtentibus, ſuccedant proximiores in gradu pupillo ſiue de linea paterna ſiue materna indifferenter.

Quod Mulier dotata, ſeu dotanda non ſuccedat.

AD conſeruandas agnationes, & familiarum dignitates, quas per maſculos, non fœminas conſeruari notiſſimum eſt, hac imperpetuum valitura lege ſancimus, Statuimus, & ordinamus, quod mulier dotata, vel dotanda a Patre, Matre, Auo, Auia, vel alio aſcendente per lineam paternam, a fratre, ſeu fratribus vtrinq; coniunctis, vel ex parte patris tantum, aut talium fratrum filiis maſculis, non ſuccedat in bonis dotantis, nec alicui ipſorum, dummodo ab vno ex prædictis competenter dotata fuerit, vel dotetur, inſpecta conditione perſonarū & viribus patrimonii, ita quod ſufficiat quod vnus tantum ex prænominatis dotauerit, ſeu dotare paratus ſit; Et talis mulier ſic dotata, aut dotanda congruenter, excludatur & penitus excluſa intelligatur & ſit a ſucceſſione omnium ſupranominatorum in perpetuum ab inteſtato morientium, ſtantibus fratribus ipſius mulieris, aut fratrū filiis maſculis, quibus non ſuperexiſtentibus, ſuccedatur prout de iure, & mulier vt ſupra dotanda petere non poſſit niſi dotem conuenientem, & ſi eſſet minus legitima dotata, non poſſit petere legitimæ ſupplementum. Si vero prænominati, vel aliquis ipſorum fecerit teſtamentum, ſiue aliquid reliquerit, ſiue non, tali mulieri vt ſupra dotatæ, vel dotandæ, teſtamentū valeat, & plenam habeat roboris firmitatem, & nihil aliud petere poſſit eadem fœmina dotata, vel dotanda aliqua cauſa, vel prætextu, niſi illud tantū quod ſibi relictū eſſet, ſtantibus prænominatis maſculis vt ſupra; alias forma iuris communis ſeruetur. Et præſens ſtatutum locum habeat in fœminis tantum, quæ poſt publicationem, ſeu confirmationem ipſius, nuptæ, vel dotatæ fuerint, non autem in fœminis ante huiuſmodi publicationem, ſeu confirmationem nuptis, vel dotatis.

De lucro dotis & veſte lugubri ſoluto matrimonio.

STatuimus & ordinamus, quod vir ſoluto matrimonio per obitum vxoris ſuæ ſine filiis legitimis & naturalibus, dummodo matrimonium fuerit conſumatum, lucretur decem pro centenario quantitatis dotis dictæ vxoris, quam ratam & quantitatem poſſit retinere, ſi dotem receperit, ſin autem, habeat actionem illam petendi & conſequendi a promiſſoribus. Mulier vero ſoluto matrimonio per mortem viri etiam filiis extantibus habeat & lucretur decem pro centenario quantitatis ſuæ dotis in bonis ſui viri, vltra dotis reſtitutionem, dummodo matrimonium fuerit conſumatum, quod ſoluatur ei tempore reſtitutionis dotis ſine aliqua diminutione, etiā quod in inſtrumento nulla fuerit facta mentio de præmiſſis. Item mulier ſupradicta in caſu prædicto poſſit petere ab hæredibus viri veſtem lugubrem iuxta conditionem & qualitatem perſonarum, & iuxta facultates viri defuncti. Promiſſores vero arrarum ratione primi oſculi, quæ hucuſque fuit in obſeruantia, omnino prohibemus.

De rebus dotalibus conſtante matrimonio ab vxoribus alienatis.

STatuimus & ordinamus, quod quotieſcunq; mulier maritata cōſtante matrimonio aliquid de bonis dotalibus, cum præſentia & conſenſu viri, per ſe ipſam & nomine proprio ipſius, ſiue cōmuni nomine viri & vxoris alienauerit, ſiue pretium communiter acceperit, ſiue integraliter receptum fuerit ab vxore, cenſeatur alienatio ipſa facta & celebrata intuitu & contemplatione, ac commodo viri, & in reſtitutione dotis vir, & illius hæredes teneantur ad reſtitutionem pretii recepti dictæ rei dotalis ſic alienatæ.

STATVTORVM

Priuerni, Liber Tertius Super Criminalibus.

De modo procedendi in Criminalibus.

IN Primis ſtatuimus & ordinamus, quod in quibuſcunq; maleficiis, delictis, vel quaſi, poſſit procedi per viam accuſatiouis, inquiſitionis, denunciationis, & querelæ, ac in omni alio modo, quo melius D. Iudici videbitur expedire, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſeruato iuris ordine, vel non; Et ſi Iudex viderit accuſatum colludere cũ reo, ſeu maltioſe deſiſtere, debeat ipſe procedere ex officio, ne delicta remaneat impunita, & incœpta vna via, poſſit ad aliam redire, & tam coniunctim quam ſeparatim procedere, & in omnibus caſibus, ſeu ex officio, ſeu ad accuſam, aut querelã partis procedi contigerit, ſeruetur forma infraſcripta, videlicet. Quod antequam citetur perſona, cõtra quam eſt procedendum, index debeat examinare teſtes ſuper ipſa inquiſiuone, ſeu accuſa, & ſi probatum fuerit ſaltem per vnum teſtem, citetur perſona delinquens ad reſpondendum, ſi cauſa erit pecuniaria tantum; Si vero cauſa erit, quod veniat imponẽda pœna corporis afflictiua, tũc iudex formato proceſſu, & examinato ſaltem vno teſte fidedigno procedat ad capturam, ſi eidem domino Iudici magis videbitur expedire; reo vero comparente & negante, data prius cautione de ſtando iuri, & iudicatum ſoluendo, vt moris eſt in pœnis pecuniariis procedatur ad vlteriora, ſeu per curiam, ſeu per accuſatorem ad probationem inquiſitionis, vel accuſæ, & deinde ad expeditionem cauſæ, pront iuris fuerit. Si vero reus non comparuerit, ponatur in bando cum certo termino arbitrio iudicis aſſignando, & demum elapſo termino condemnetur, ſeruata forma infraſcripta, videlicet. Quod mandato D. Iudicis detur bandum per præconem ad feneſtras palatii, ſono tubæ præmiſſo, alta voce clamantem, in quo bando dicatur, quod iudex facit illum poni in bando propter illam contumaciam, & delictum, ſuper quo fuit citatus, quod delictum exprimatur in bando, & in ipſo bando aſſignetur terminus reo arbitrio iudicis declaratus & certus ad cõparendum, & niſi in termino bandi, uel intra terminũ comparuerit, & ſe excuſauerit, tunc habeatur pro confeſſo & conuicto, & uero contumaci, & poſſit diffinitiue cõdemnari de crimine, abſq; aliqua alia notificatione bandi, uel alia citatione, ſaluo quod, ſi citatus, uel banditus etiam poſt terminum bandi, & ante ſententiam quandocunq; comparuerit perſonaliter & ſe excuſare uoluerit, & ſuper crimine ſe defendere, audiatur, non obſtante quod lapſus eſſet terminus bandi, ac etiam audiatur poſt ſententiam, ſi ſupplicauerit, & ſibi contumacia remiſſa fuerit per ſuperiores, & in carcerem ſe conſtituere, & innocentiam ſuam purgare uoluerit. In leuibus uero delictis, in quibus quis uenerit puniendus in pœnam pecuniariam, etiam poſt ſententiam audiatur reus a D. Poteſtate intra tres menſes, refectis tamen expenſis contumacialibus, ac ſoluto decreto, iuxta tabulam. Et quia multi quandoque ſe malitioſe occultant, & ſubtrahunt, ne citari poſſint, & quãdoq; forenſis, qui in terra & territorio Priuerni deliquit, in dicto territorio non reperitur, in huiuſmodi & ſimilibus caſibus, ſi perſonaliter citari non poterit, citetur domi, ſi domicilium habet certũ; ſin autem ſufficiat citatio per edictum ad portas palatii publicatum, ſeu affixum, uel per præconem ſono tubæ ad feneſtras palatii prout D. Iudici uidebitur. Poſt uero latam ſententiam diffinitiuam, ſi rei fuerint condemnati in pœna capitali, publice exbandiantur a terra & territorio Priuerni cum eorum nominibus, & exinde in poſterum nullus publice uel occulte audeat tales exbãditos & condemnatos receptare, nec eiſdem præſtare auxilium, conſilium, uel fauorem, ſub pœna quinquaginta duc. Condemnati autem in pœnam corporis afflictiuam, non tamen capitalem, ſimiliter exbandiantur, & de cætero nullus audeat publice, uel occulte tales exbãditos receptare, nec eiſdem auxilium, conſilium, uel fauorem præſtare, ſub pœna decem ducatorum.

In quibus caſibus non poſſit ex officio procedi per inquiſitionem.

STatuimus & ordinamus, quod in criminibus incæſtus, adulterii, ſtupri, & fornicationis nõ poſſit procedi ex officio per inquiſitionem, niſi contra infamatos, qui publica laborent infamia. Et quia propter aliquorum falſas accuſationes interdum turbantur matrimonia quieſcentia, & naſcuntur inter ipſos amicos odia & ſcandala; Ideo ſtatuimus, quod in huiuſmodi caſibus nullus priuatim, uel publice admittatur ad accuſandum, uel deferendum, niſi Pater, Mater, Auus, Auia, Filii, & Nepotes utriuſque ſexus, uſque ad ſecundum gradum, Fratres & ſorores, & filii fratrum & ſororum, qui prænominati ſolum ad prædictam accuſationem, ſeu delationem admittantur, quia domus & generis ſui proſequuntur iniuriam.

Item pariter procedi non poſſit per inquiſitionem ex officio in criminibus infraſcriptis, uidelicet. Verbis iniurioſis, improperiis, ac de aliis actibus ubi nõ ſint percuſſiones, in quibus caſibus tantummodo per accuſam, ſeu querelam procedatur.

De

De pœna Blaſphemantium.

STatuimus & ordinamus, quod ſiquis blaſphemauerit Deum, nomenq; eius ſanctiſſimum, aut aliquid iniurioſum ei dixerit, ſi ſemel & cum vno teſte idoneo in iudicio legitime cõuictus fuerit, pœnam ſoluat quinq; duc. pro prima vice; ſi bis conuictus fuerit vt ſupra x. duc. pœna ac tribus ictibus funis puniatur. Et ſi ter conuictus vt ſupra fuerit, pœnam ſoluat xxv. duc. & vltra dictam pœnam ponatur nudus manibus atergo ligatis ante valuas Eccleſiæ collegiatæ ſanctæ Mariæ in die Dominico, habens linguam ligatam intra duas tabellas extra os extractam, ita quod ab omnibus videatur, permanendo ſic dum diuina officia de mane celebrantur in eo die; & ſi poſtea reciciderit in ſupradictas blaſphemias, tamquam incorrigibilis ad triremes per ſpatium quinque annorum tranſmittatur. Idemque dicimus contra blaſphemantes beatiſſimam Dei genitricem Mariam; & in eam nomenq; eius venerabile iniurioſum aliquid dicẽtes vt ſupra conuictos.

Is vero, qui blaſphemauerit aliquem ſanctum, & in eum nomenq; eius aliquid iniurioſum dixerit, dimidiatas vt ſupra reſpectiue pœnas pecuniarias ſoluat, & tertia vice tribus ictibus funis publice puniatur. Quę pœnæ ſupradictæ applicentur pro quarta parte accuſatori, & alia quarta parte executori, & reliquis partibus locis pijs arbitrio iudicis. Siquis per nomen Dei & Virginis iurauerit, aut per ipſum Deum & Virginem vane, duorum carl. pœna puniatur applicañ, vt ſupra, & prænominatorum denunciatio ſit vtilis per duos menſes a die blaſphemiæ.

De verbis iniurioſis & maledicis.

CVm ex verbis facillime, vbi contumelioſe agitur, ad verbera perueniatur, vt quotidiana exẽpla nos admonent, idcirco ſtatuimus & ordinamus, quod is, qui in aliqua contumelioſa, ſeu aliter iniurioſa verba contra aliquem præſentem cuiuſcunque ſexus proruperit, ſimiliter & minatoria, aut deteſtabilia, puniatur pro quolibet verbo conuictus legitime in iudicio pœna x. carl. Si vero abſente iniuriato huiuſmodi crimina quis commiſerit, pœna ſit ei dimidiata. Augeatur tamen pœna prædicta arbitrio iudicis ex qualitate perſonæ, cui fit iniuria, ac qualitate loci & temporis. Si quis mouerit ſe de loco ad locum animo iniuriandi aliquem, præter pœnas iniuriarum ſoluat pœnam v. carl. ſi iniuria fuerit ſubſequuta.

Item ſi quis vociferauerit in aliquem pręſentem, adeo quod ad ipſam vociferationem plures accurrant, præter pœnam verborum iniurioſorum, ſi qua in ipſa vociferatione dixerit, pęnam ſoluat carl. v. Item quod omnes & ſingulæ pœnæ in ſingulis præmiſſis caſibus dimidientur in fœminis cuiuſcunq; ætatis, ac in maſculis minoribus xviii. & maioribus duodecim annis.

Item quod in præmiſſis poſſit ſolum per accuſationem & querelam procedi intra menſem, & non vltra a die commiſſi delicti. Sed vbi pax non fuerit ſubſequuta in præmiſſis, procedat iudex ad fideiuſſores hinc inde de non offendendo, vt moris eſt, tam intra menſem, quam vltra, quouſq; in caſu per curiam ſatis prouiſum fuerit quod ſe non offendant.

De pœna percutientium & offendentium ſine armis.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis iniurioſe percuſſerit aliquem alapa, vel pugno ĩ facie cũ ſanguine, puniatur pœna x. duc. Si vero in alia parte corporis percuſſerit cum ſanguine, pœna quinq; duc. puniatur, & ſi percuſſiones fuerint ſine ſanguine, pœnæ ipſæ dimidientur. Si vero quis aliquem calce percuſſerit cum ſanguine, quinq; duc. pœna puniatur; ſi ſine ſanguine, in media pęna puniatur. Si autem aliquis iniurioſe aliquem in facie momorderit, cum cicatrice euidenti perpetuo remanſura xx. duc. pœna puniatur, & ſi ſine cicatrice, vel ſigno euidenti dimidia pœna puniatur. Si vero aliquis iniurioſe alicui pilos de barba extraxerit, ſeu barbã ipſam depilauerit xx. duc. pœna puniatur. Et ſi aliquis capillos e capite alicuius iniurioſe detraxerit, vel ipſum fecerit cadere in terram, ſeu dilaniauerit caput, birretum, infulam, vel cappellum de capite, aut mulieri velum, ſeu tobaleam, pœna duc. quinq; puniatur, & plus arbitrio iudicis puniatur, iuxta qualitatem viri, vel mulieris offenſæ, etiam perſonaliter, ſi ex qualitate offenſi, vel offenſæ periculũ eſſet deterioris ſcandali, ſeu tumultus. Et ſi quis aliquem iniurioſe acceperit per pannos ad pectus, vel per collarium, ſeu alicui pannos dilaniauerit de dorſo, pœna duc. v. puniatur, ultra damni emendationẽ parti offenſæ, tam in præſenti caſu, quam aliis præmiſſis, ubi parti offenſæ damnum aliquod eſſet illatum. Si uero quis cum impulſa aliquem iniurioſe in terram cadere fecerit, cum ſanguinis apparitione in facie, pœna x. duc. puniatur. Et ſi ſanguis de alia corporis parte exiuerit, dimidia pœna puniatur, & ſi ſanguis non exiuerit, pœna duc. trium puniatur. Et ſi ex impulſu, uel impinta quis non ceciderit xv. carl pœna puniatur. Et ſiquis acceperit aliquẽ per naſum, uel manum ad gulam immiſerit, & ſanguis exierit, pœna x. duc. puniatur, & ſi ſanguis non exierit media pœna puniatur. Siquis uero aliquem iniurioſe per terram extraſcinauerit, pœna x. duc. puniatur, & plus arbitrio iudicis, iuxta qualitatem perſonæ offenſæ; Et ſi quis in faciem alicuius expuerit, uel aliquem turpitudinem iniurioſe proiecerit, pœna x. duc. puniatur, & plus arbitrio iudicis, iuxta qualitatem perſonæ offenſæ ut ſupra. Si uero offenſa ipſa in alia corporis parte facta fuerit quã in facie, media pœna puniatur.

De pœna percutientium cum armis.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis uulnerauerit, uel percuſſerit aliquem cum armis ferreis, uel ferratis, baſtono, aut lapide in capite cum fractura cranei, & ſanguinis effuſione, quinquaginta duc. pœna puniatur. Si uero cum ſanguine, & non fractura cranei, media pœna puniatur. Si autem cum ſimilibus armis aliquem percuſſerit, & uulnerauerit in facie, uel gula cũ ſanguinis effuſione, & ex huc uulnere ſignum aliquod, aut cicatrix euidens ſit perpetuo remãſura, in duc. quinta puniatur. Et ſi ſanguis tantum exieri ſine cicatrice remanſura, dimidia pœna puniatur. Qui uero in capite, aur gula cum dictis armis euaginatis aliquem percuſſerit ſine ſanguine, in x. duc. pœna puniatur. Et ſi cum armis non euaginatis percuſſerit ſine ſanguine, dimidia pœna puniatur. Si uero aliquis percuſſerit & uulnerauerit aliquem cum dictis armis, uel eorum aliquo, a collo intra cum ſanguine, pœna x. duc puniatur. Si nero offenſa erit ſine ſanguine, in dimidia pęna puniatur. Si uero cum quibuſuis aliis armis quam prædictis quis aliquem percuſſerit cum ſanguine, uel ſine ſanguine, in quolibet dictorum caſuum eadem pœna puniatur.

De pœna amputantium, vel debilitantium manum, vel aliud membrum.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis abſciderit, ſeu amputauerit alicui manũ, pedem, naſum, uel aliud membrum Principale, vel oculum ſtudioſe effoderit, licet ſecundum iura maioribus pœnis plecteretur, tamen mitius agentes, Statuimus, quod pœna duc. centum puniatur. Si vero debilitauerit tantum, & non amputauerit, pœna quinquaginta duc. puniatur. Quas pœnas ſi in tẽpore in condemnatione expreſſo non ſoluerit, maioribus pœnis arbitrio iudicis puniatur. Si vero digirum manus uidelicet. quis alicui pollicem amputauerit in quinqnaginta duc. pœna puniatur, & ſi alium digitum quam pollicem amputauerit xxv. duc. pœna puniatur. Et ſiquis alicui dentes ininrioſe cadere fecerit, pro quolibet dente, nltra pœnam percuſsionis in facie, pœna x. duc. puniatur. Si uero dentem unum, uel plures fregerit, media pœna puniatur. Et quamuis tempore percuſsionum, & uulnerum, membra ipſa amputata, ſeu dentes extracti non fuerint, & ex cauſa percuſsionum & uulnerum eorundem, membra in medendo neceſſario abſcindenda, & dentes extrahendi ſint, nihilominus offendens eiſdem declaratis pœnis puniri uolumus, & mandamus, ac ſi membra inciſa fuiſſent, & dentes cecidiſſent.

De pœna inſultantium, euaginantium arma, & adminantium cum eis.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis aliquem aggreſſus fuerit, innaſerit, ſeu inſultauerit cum aliquo armorum genere ad domum, ſeu tugurium, aut apotecam, ſeu officinam, ubi inſultatus habitauerit, uel aliquod artificium exercuerit, illuc intrando, ſi intra terrã Priuerni, pœna xx. duc. puniatur. Si uero extra terram Priuerni aggreſsio facta fuerit x. duc. pœna puniatur, & ultra pœnam pecuniariam, carcere etiam, uel exilio arbitrio iudicis puniatur; ſi ſolus is fuerit. Si uero aſſociatus pluribus complicibus, pœna prædicta duplicetur, & ſi tanrũmodo aggreſſus fuerit, & non intrauerir, dimidiam pœnã ſoluat. Et ſi abſque armis id fecerit, modica pœna puniatur arbitrio indicis. Si aurem inſultum, aut aſſalimentum alibi quam in locis prædictis fecerit, ſi intra terram & cum armis, x. dnc. pœna puniatur, & ſi ſine armis v. duc. pœna puniatur. Si uero extra terram cũ armis, pœna v. duc. puniatur; ſi ſine armis pœna dimidietur. Et quatenus aliquis ex inſultantibus prædictis, tunc tempore inſultus, ſiue ſtatim poſt aliam iniuriam contra inſultatum fecerit, ex qua maior pœna reſultaret, illa maiori pœna puniatur, & non de inſultu. Si uero quis contra aliquem aliquid genus armorum offenſiuorum euaginauerit, & cum illis, ſeu cum aliis armis adminanerit, non ictum conſumando, & percutiendo, ſeu uulnerando, quinq; duc. pœna puniatur. Si uero ictum minatus fuerit manum eleuando, non tamen ictum conſumando, dimidia pœna puniatur.

De mouenti ſe de loco ad locum animo rixandi.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis de loco ad locnm ſe mouerit cauſa rixandi, præter alias pœnas, quas tunc incurrerit ſtatutarias, poſt motũ ad rixam x. carl. pœna puniatur.

Qui non babet in bonis, luat in corpore.

SI quis ad aliquam pœuam pecuniariam teneretur ſoluendam, & non habeat unde eam ſoluat, pro quacunq; cauſa, etiam damnorum datorum; puniatur, pro pœna pecnniaria, aliqua pœna corporali ad iudicis arbitrium, iuxta qualitatem delictorum & perſonarum. Et ſi quis puniendus ueniret pœna corporali, ſimul & pecuniaria, & non poſsit pecuniariam pœnam ſoluere augeatur pẽna corporalis arbitrio etiam iudicis.

De proijcientibus lapides in domos alienas.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis de nocte proiecerit, ſeu pro:ici fecerit lapidem in tecta alicuius intra Priuernum, ſimiliter & eccleſiarum, quinq; duc. ſoluat, & damnum e nēdet, quod in omnibus caſibus de iure eſt emendandum illud patienti. Extra vero Priuernum pœna prædicta dimidietur. Si quis autem de die iniurioſe lapidem, & ſimilia in tecta aliena proiecerit vt ſupra, aut proiici fecerit, dimidium prædictæ pęnæ reſpectiue ſoluat. Si non iniurioſe caſus euenerit, pœna de nocte ſit x. carl. & de die duorum carl. quibus ſingulis præmiſsis pęnis nō includimus mulieres, neq; pueros minores xiiij. annis.

De proijcientibus Lapides, Ligna, & ſimilia de tecto, vel domo in vias publicas.

SI quis Lapidem, Lignum, Aquam, vel aliquam turpitudinem, vel quid ſimile de tecto, vel de feneſtra, cimaſia, ſcala, ſeu terrena ianua, vel alia parte domus proiecerit in viam publicam, & nō inſpexerit prius tranſeuntes, ac non clamauerit alte tranſeuntibus, uel qui tranſire tunc de proximo poterunt, ut caueant, & tranſeuntes deturpauerit, ſeu offenderit, vltra damni emendationem x carl. pęna puniatur. Si uero doloſe id egerit in iniuriam alicuius, pœnas reportet quas de iniuriis illatis, & percuſsionibus ſoluere teneretur iuxta formam ſtatutorum de præmiſsis loquentiū, & paterfamilias in præmiſsis pro eius familia teneatur.

De priuato carcere.

SI quis delictum priuati carceris commiſerit, puniatur pœna in ſacris conſtitutionibus contenta. Liceat tamen Patri corrigere Filium, & Auo Nepotes carcerando, aut capiendo ad libitum tam priuatim quam publice impune.

De ſibi ipſi de facto iuſtitiam adminiſtrante.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis ſibi ipſi priuato iuſtitiam adminiſtrauerit cōtra aliquem, auferendo ab eo aliquid de facto, aut de facto retinendo ſibi cōmodatum, uel mutuo acceptū, puniatur pœna x. duc. & debitor contra quem ſic de facto priuatim agitur, abſoluatur a debito, ad quod ſoluendum forſan tenebatur. Liceat tamen creditori debitorem fugitiuum qualitatis, prout in ſtatuto de ſuſpitione fugæ expreſsimus, impune capere, & ducere ad curiam, quando tēpus non patitur vocare exequutorem, & adire iudicem, ſi debitor fuerit forenſis, & extra mœnia Priuerni cū inuenerit, & ſi debitor, ne ducatur ad curiam, creditori ſatisfecerit, ſiue in pecunia, ſiue in aliis rebus, teneatur creditor ipſæ curiæ hoc denunciare, cū expreſsione debiti ſoluti, aut rerum acceptarum, alias in pœnam prædictam incurrat.

Quod nullus intra Priuernum ſcoplum, aut baliſtam audeat exonerare, aut diſparare.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis ſcoplum paratum, aut baliſtam etiam paratam per Priuernum portauerit, puniatur pœna duorum duc. Si quis vero intra Priuernum ſcoplum paratū, aut baliſtam diſparauerit ſimpliciter, v. duc. pœna puniatur, præter pœnas percuſsionis, ſi quam alicui ſic fecerit, nec oberit, quia non iniurioſe percuſſerit, cū arma illa ſint ualde periculoſa ad diſparandum, ubi homines obſeruari & offendi poſſunt. Liceat autem armaris in colluſtratione ciuium, & pro eundo ad aſſociandum vexilliferum ſtatutis temporibu portare ſcoplos cattha paratos, illoſque diſparare ſemel, & ſæpius ad libitum, niſi eos aciei inſtructor prohibuerit.

Item cum clamatur, aut pulſatur ad arma impune poſsit quis ferre paratum ſcoplum & baliſtā ab egreſſu domus, illumq; & illam diſparare, tam intra, quā extra Priuernum ad neceſſaria.

De accuſato volente accuſare ſuum accuſatorem.

SI quis accuſatus voluerit accuſare ſuum accuſatorem, cuſtodem, aut aliquem de ſua familia, durante eius ſemeſtre, non admittatur in maleficiis, niſi idoneis teſtibus deductis, iuxta formā ſtatuti. Si quis autem non cuſtodem, ſed priuatam perſonam, quæ eum prius accuſauerit, noluerit accuſare, aut ali quem alium de eius familia, non admittatur ut ſupra pendente contra eū accuſatione, ſine indiciis legitimis & idoneis teſtibus, ſtatutis aliis loquentibus, quod credatur accuſatori in præmiſsis non obſtantibus.

De beneficio confeſſionis, pacis, & ſolutionis.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis ſe delinquentem denunciauerit Curiæ, aut accuſatus, ſeu inquiſitus, & crimen in iudicio ſponte confeſſus fuerit, primo interrogatus in maleficiis, quartam partem pœnæ lucretur. ſi quis ſtatutariam pœnam ante ſententiam, uel ſaltē intra x. dies poſt latam ſententiam in præmiſsis ſoluerit, ſimiliter & aliam quartam partem pœnæ lucretur. Si quis partis aduerſæ pacem neceſſariam habuerit ante ſolutionem huiuſmodi, & aliam quartam partē pœnæ lucretur, adeoquod qui deberet ſoluere quatuor, ſoluat unum, & ſic reſpectiuis ad ſingulas quartas partes, ſi ex eis vnam uel duas lucretur ut ſupra delinquens.

De furantibus vaſa, ſeu teſtas gariofilorum, aut aliorum florum, ſeu verdurarum.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis vaſa, aut teſtas gariofilorum, aut aliorum florum, ſeu verdurarum, tam a feneſtris domorum, quam lodijs, aut cimaſiis, ſiue hortis, & aliis quibuſcunque locis, tam de die, quam de nocte furatus fuerit, x. duc. pœna pro qualibet teſta puniatur.

De contumelijs ex actibus inhoneſtis.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis in aliquem actum inhoneſtum contra aliquem proruperit, veluti formare ficum digitis, torquere os, & ſimilia inhoneſta, necnon voces, ſeu clamores ludibrioſos emittere, ſicuti fare ſbeffegiamenti, & ſimilia, duorum duc. pœna puniatur, & in huiuſmodi caſibus ſit actio accuſandi intra menſem a die iniuriæ illatæ, & per inquiſitionem nō poſſit ad præmiſſa procedi.

De Homicidio.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis de homicidio iniurioſo erit conuictus, ſacrarum legum pœna puniatur.

De operantibus venena.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis venenum, aut aliquid venenoſum ſcienter, vel doloſe, aut ex affectata ignorantia alicui dederit mixtum in cibo, vel potu, aut medendo, ſeu tangendo illud in alicuius vulneribus, ſeu vlceribus immiſerit, pœnam centum duc. & trium ictuum funis puniatur, dummodo ex dato, ſeu immiſſo vt ſupra veneno mors hominis non ſubſequatur. Et in hoc caſu qui conſilium & operam præſtiterit eiſdem pœnis ſubiaceat. Si quis venenatis armis vulnus iniurioſe alicui inflixerit, ſi ex eo mori percuſſo non contigerit, eadem pœna puniatur, præter illati vulneris ſtatutarias pœnas. Si quis ſcienter, vel doloſe, aut ex affectata ignorantia venenum alicui in caſibus præmiſsis uendiderit, miniſtrauerit, ſeu donauerit, eiſdem pœnis ſubiaceat. Si quis venenum uendiderit, donauerit, commodauerit, dederit, & quoquomodo præſtiterit extra hos præmiſſos caſus alicui quomodocunq; ſine licentia curiæ, xxv. duc. pœna puniatur.

De raptu Mulierum, Adulterio, Inceſtu, & ſtupro.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis Mulierem nuptam, Virginem, uel Viduā bonæ famæ violenter rapuerit, ſeu per uim carnaliter cognouerit, aut ſtuprum cum puero ſi quis commiſerit, aut in peccatū ſodomiticum inciderit, ſi erit maior decē & octo annis, legalibus pœnis puniatur.

Si quis retinuerit vxorem alterius uolentem abſque uoluntate uiri cauſā libidinis, in quinquaginta duc. pœna puniatur. Si uero carnaliter cognouerit, & nō retinuerit, in xii. duc. puniatur.

Et ſi quis uxorem propriam dimiſerit, & concubinā retinuerit, in quindecim duc. condemnetur, & nihilominus concubinam dimittere, & cum uxore habitare compellatur.

Item ſi quis nolentem uiduam, uel ſolutam aliter bonæ famæ mulierem carnaliter cognouerit xx. duc. pœna puniatur.

Item ſi quis Virginem ſine uiolentia defloranerit, eam in uxorem ducere compellatur, ſi ſit paris conditionis; ſin autem, teneatur eam competenter dotare iuxta conditionem mulieris.

De pœna ſtuprantis virginem nondum viripotentem.

SI quis Virginem nondum viripotentem deflorauerit, ſeu ſtuprauerit, pœna mortis naturalis puniatur, ita & taliter quod eius anima a corpore ſeparetur; & ſi erit uilis perſona, furcis ſuſpēdatur.

De inferentibus vim mulieribus, & per vim oſculantibus.

STatuimus & ordinamus, quod nullus, cuiuſcunque gradus, ſtatus, ordinis, uel conditionis exiſtens, audeat uel quouiſmodo præſumat in viis publicis, uel alibi mulieres uirgines, uel uiduas, uel aliter ſolutas amplexari, uel deoſculari, aut velum de capite, ſeu cingulum rapere, uel alio modo deshoneſtare, uel dedecorare, ſub pœna publicationis omnium bonorum ſuorum, & fuſtigationis per loca publica & conſueta, ac infamiæ. In quibus caſibus procedatur per inquiſitionē, denunciationē ſeu accuſationem, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſola facti ueritate inſpecta, omniq; appellatione, reclamatione, recurſu, & nullitatis dictione, aut alio quouis remedio ceſſante. Quæ bona publicata pro dimidia parte in dote ipſis mulieribus applicentur, & pro alia dimidia Cameræ communis Priuerni. Et quia multoties huiuſmodi flagitia committuntur, cauſa contrahendi matrimonium cum dictis mulieribus, & quod uirtute aſſequi nequeūt, dolis & flagitiis conſequi conantur, Ideo mandamus, quod inter tales mulieres & uiros matrimonium nullo modo contrahi poſsit. Si autem occulte quis in præmiſsis deliquerit, pœna prædicta dimidietur.

Si quis etiam non bonæ famæ mulieri uim intulerit cauſa libidinis, aut uiolentam manum in eam propterea iniecerit, x. duc. pœna puniatur.

De attentata pudicitia mulierum de nocte, vel in occulto.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis de nocte, uel in loco occulto aliquam mulierem honeſtā aggreſſus fuerit, & ſuam pudicitiam attentauerit, ſeu in ipſius domum ingreſſus fuerit cauſa libidinis

De ludentibus ad ludos probibitos.

STatuimus & ordinamus, quod nullus audeat, neq; præſumat ad aliquem ludum cartharum, ſeu caxillorum ludere, ſub pœna x. carl. pro quolibet, quotiens, &c. si in loco publico. Si vero in loco occulto, pœna ipſa duplicetur; Et ſi in loco ſacro, pœna triplicetur. Concedimus autem licentiam ludendi ad sbaraglinum, necnon ad rumpham, triumphettas, & triumphos magnos, ſine inuitationibus, & hoc de menſibus Iulii & Auguſti tantũ; qua etiam pœna puniantur non ludentes & participantes in ludo, & quilibet accuſator credatur cũ vno teſte idoneo.

De ſpolio.

SI quis aliquẽ in ſua poſſesſione pacifica etiam ſine vllo titulo de facto ſpoliauerit, x. duc. pœna puniatur, & nihilominus cogatur etiam de facto per iudicem dictam poſſesſionem ſpoliato reſtituere, viis iuris cum inuentione pœnarum vno monitorio, ſeu præcepto, & a mera poſſesſionis reintegratione nulla detur appellatio.

De turbata poßeßione.

SI quis aliquem in ſua pacifica poſſesſione turbauerit, ſeu inquietauerit, incidat in pœnam ſupradictam, & compellatur a turbatione, & inquietatione deſiſtere.

De famulo alicuius delinquente.

SI cuius famulus aliquod maleficium commiſerit, propter quod pecuniaria pœna venerit puniẽdus, & aufugerit Priuerno, eiuſq; territorio, ſoluat ipſam pœnam illius dominus de eiuſdem famuli ſalario ſeruitii pręſtiti, ſi ſolutum non fuerit.

De fideiußionibus dando de non offendendo.

STatuimus & ordinamus, quod in rixis quibuſcunq; posſit & debeat D. Poteſtas ad euitandum maiora pericula ſeditionum, ad ſuum arbitrium, & cum iniunctione pœnarum cogere omnes & ſingulos rixantes ad præſtandum idoneos fideiuſſores de non offendendo inuicem ſub certis pœnis, & non ſolum rixantes, ſed eos cogere posſit quoſcunq; in poſterum ex ſui conſcientia & iudicio ad præfata ſuſpectos de offenſione præſtanda. Item posſit & debeat D. Poteſtas & iudex, ſub pœna xx. ducat. prouidere cuilibet inſtanti & petenti dari ſibi fideiusſiones ab aliquo a quo timet offendi, de cogendo quem nominauerit ad fideiuſſores vt ſupra præſtañ. de eũ aut aliquem de ſua familia non offendendo, ſub aliquibus pœnis, ſiue cauſa cognita, ſiue non. Adiiciẽtes quod pœnæ intelligãtur minime obligatoriæ, niſi hinc inde dati fuerint fideiuſſores vt ſupra, etiam quod vna pars eos dederit pro ſe ipſa cũ obligatione vt moris eſt, altera vero nõ dederit.

Item quod inſtans quis de ſuſpitione timoris quẽ habet, ne offendatur, fideiuſſores ex aduerſo dari petens, non audiatur ante quam ipſe prius dederit idoneos pro ſe fideiuſſores.

Item quod fideiusſiones huiuſmodi, ac de ſe repræſentando, ſeu de ſtando iuri, & de iudicatum ſoluendo nullam vim acquirant, niſi per camerarium cõmunis approbatæ fuerint, videlicet, vbi de pœna agitur quæ communi veniret applicanda & non alias.

De negantibus nomen ſuum.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis inuentus in aliquo delicto, ſeu damno dato, aut aliter diffamatus in diſtrictu Priuerni, ſeu intra Priuernum, nomẽ ſuum, patriæ, ſeu cognationis, aut ſui domini, requiſitus interroganti denegauerit, aut illud negauerit, mutando proprium, duorũ duc. pœna puniatur præter pœnã commisſi delicti damni dati, & diffidationis. Et liceat nihilominus impune cuiuſcunq; ipſum vt ſupra nomen denegantem, aut mutantẽ, & deprehenſum in aliquo præmiſſorũ etiam cum beſtiis, ſi quas retinuerit in eo caſu, ducere ad curiam, ipſique curiæ præſentare.

De igne immißo & de incendiarijs.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis immiſerit ignem in ſtipulas ſiue ſuas, ſiue alienas ante calendas Auguſti, duorum ducatorum pœna puniatur. Poſt vero calendas ipſas liceat vnicuique in ſuis ſtipulis ignem immittere, adhibita tamen neceſſaria diligentia & cura in faciendis sfocatoriis ſufficientibus, ne ignis posſit extra ſuas ſtipulas euagari, & aliis damnum dare, quam diligentiam ſi non adhibuerit, & ignis euagatus damnum dederit in ſegete, & in area aliena, trium duc. pœna puniatur, vltra damni emendam, & onus probandi diligentiam incũbat, immittenti ignẽ. Et ſi ignis euagatus fuerit per foreſtas, & per Caſtaneas, Vineas, Pantanum de prunitis, olineta, & quæcunq; alia loca, non adhibita diligentia ſupradicta, duos duc. ſoluat præter damni emendam. & in huiuſmodi caſibus in probando immiſſorem ignis credatur accuſatori cum vno teſte, aut cuſtodibus communis ſimpliciter ſine teſtibus, & ſi modo præmiſſo, aut alias legitime probari non posſit quis immiſerit ignem, procedatur per inquiſitionem contra illos, qui in locis magis vicinis damno dato ignem immiſerunt, & ſi fuerint plures loci vicini, procedatur contra eumqui immiſit ignem in eum locum, a quo per peritos iudicatum fuerit ignem proceſiſſe, & damnum eueniſſe, qui ad emendam tantum damni teneatur, niſi doceat a quo fuerit ignis immiſſus.

Si vero dolo & ſtudioſe quis ignem immiſerit in alienã ſegetẽ, areã nõ recollectã, ſiue caſarciã & in

ſi in vineas,& olineta,xx.duc.& trium ictuum funis pœna puniatur,& damna emendet. Et ſi ſtudioſe vt ſupra quis ignem immiſerit in foreſtas & alia loca ſupradicta,v.duc.pœna puniatur.

Si quis vero dolo & ſtudioſe ut ſupra ignem immiſerit in domos & tuguria aliena,ſiue in terra, ſiue extra terram Priuerni,& in arcellas,ſeu caſarcias ſegetum,pœna legali puniatur,& damnum patienti emendetur,ac dolus,ſeu ſtudium debeat legitime probari,ſed ſi ignis fuerit de nocte immiſſus,in probando ſeruetur forma ſacrarum conſtitutionum.

De intrantibus,vel exeuntibus per alia loca,quam per portas terræ Priuerni.

SI quis terram Priuerni per alia loca,quam per patentes portas intrauerit,aut exierit,x.duc. pœna puniatur,& credatur in accuſando cuſtodibus communis,& eorum cuilibet,& alteri legitimæ perſonæ cum iuramento,& vno idoneo teſte,cuius criminis accuſatio,ſeu inquiſitio ſit vtilis per menſem,& vlterius euaneſcat.

De vim inferentibus portinario publico communis.

SI quis portinario publicarum portarum terræ Priuerni vim intulerit reſpectu officii claudendi,ſeu aperiendi,x.duc.pœna puniatur,præter alias pœnas,ſi quas incurrerit iniuriarum; qui vero claues ab eius manibus abſtraxerit iniurioſe portarum Priuerni,xxv.ducat. pœna puniatur, præter alias ut ſupra.Cui portinario liceat ipſum iniuriantem accuſare intra menſem, & per inquiſitionem poſſit etiam ſemper in caſu procedi.

De extrahentibus Annonam.

STatuimus & ordinamus,quod nemini liceat extrahere Annonam de terra & territorio Priuerni,ſub pœna x.duc.quotiens deliquerit in præmiſſis, & amiſſionis graſciæ,& beſtiarum eam ferentium,ſaluo ſtatuto de aliunde portata graſcia.

Si quis frumentum,aut aliam graſciam extra viam molendinorum portare inuētus fuerit, pro extractore huiuſmodi habeatur.

Item quod Priuernates extra territorium ad confines euntes ſeminatum in alienum territorium,poſſint frumentum extrahere,non obſtantibus præmiſſis, tempore ſeminationis ad libitum ſine vlla pœna,cum licentia tamen Domini Poteſtatis,& cauſa ſeminandi.

Si quis frumentum recollectum in agro Priuernati extraxerit exterus quomodocunq;,ſine licentia vt ſupra,pœna extractæ ſine licentia graſciæ puniatur,ſaluis contractibus inter finitimos & Priuernates,quos iuxta eorum conditiones obſeruari volumus.

Si quis ciuis recollectum frumentum,oleum,& factum caſeum in agro Priuernati,vel eius territorio priuernum non portauerit recta via poſt recollectum,& factum in loco,pœna ut ſupra puniatur,& in omnibus ſingulis præmiſſis reſpectu extractæ graſciæ accuſatio ſit vtilis intra vnum menſem ab ipſo die extractionis,ſeu recollectionis;vlterius autem euaneſcat. Et quilibet poſſit accuſare cum iuramento,cui credatur cum vno idoneo teſte,inter quos accuſatores connumerari ordinamus omnes & ſingulos de familia D.Poteſtatis,præſertim ſi duxerint extractores, ſeu in actu extrahendi graſciam ipſam ab eis ablatam in palatium communis reportauerint, ſimiliter exteri recolligētes areas in territorio priuerni nihil extrahāt ſine licentia ut ſup.ſub eiſdē pœnis.

De Graſcia aliunde Priuernum portata.

SI quis ciuis aliquid ſub nomine graſciæ aliunde ab extra territorium portauerit tam ad terram Priuerni,quam eius territorium,debeat intra xxiiij.horas,ſi animo extrahendi illud vt ſupra adduxerit,proteſtari in actis curiæ coram domino Reſidente,qualiter id portauerit animo,& intentione extrahendi,in quo caſu teneatur extrahere dictā graſciam intra quinq; dies, alias poſt dictum tempus non liceat vlterius ſibi eam abſtrahere,ſub pœna contenta in ſtatuto de annonā extrahentibus.Foreſes vero hoſpitantes in terra & territorio priuerni cum graſciis aliunde trāſportatis,poſſint ſequenti die aſportare illas abſq; aliqua licentia,& lapſo dicto ſequenti die aſportare non poſſint ſine licentia,ſub pœna vt ſupra.Exterus autem ſi quid ſub nomine graſciæ ut ſupra intra priuernum aſportauerit ad vendendum,poſſit impune & ſine alia licentia, aut ſolennitate ſtatuti,quod non vendiderit,ad placitum extrahere,quantum ad ſtatutum de graſcia non extrahenda.

De impedientibus Curiam, ſeu Executores.

SI quis curiam,aut eius executores legitimos impediuerit, aut eis impedimentum præſtiterit aliquo modo,quin in tempore non capiant capiendum,aut non exequantur commiſſa,puniatur ea pœna,qua puniretur capiendus. Et ſi executio erit ciuilis pro debito,compellatur ſoluere debitum,& vltra debitum ciuile pęna duc.x.puniatur. Si vero impedimentum violentum intulerit cum manuum iniectione,vltra pœnas prædictas teneatur etiam pœna iniuriarum iuxta formam ſtatutorum loquentium de iniuriis illatis contra officiales curiæ.

Quod

Quod quilibet debeat currere ad clamores.

STatuimus & ordinamus, quod quilibet habitator Priuerni teneatur currere cum armis, vel ſi ne (niſi in caſu legitime excuſetur) vbi pulſatum fuerit ad arma, aut aliter clamatum ad ea, ſeu cum clamore auxilium inuocatum ex ordine D. Poteſtatis, ſeu illius curiæ, aut officialium ad illa ſcilicet loca, ad quæ clamor expoſtulat, ſub pœna duorum duc. arq; ibi in neceſſariis ſe ſe ingerāt ad ea facienda, quæ a præfatis D. Poteſtate, & officialibus fuerint ordinata, prout facti contingētia expoſtulauerit.

De pœna frangentium pacem.

SI quis pacem fregerit, quæ fuit ſtipulatione vallata, & redacta in publico inſtrumento, tam in actis curiæ, quā extra, pœnæ conuentionali ſubiaceat, quæ in inſtrumēto pacis continetur; si ve eo facta fuerit per amicos, vel per Centuriones, aut alias perſonas ſine ſcriptis cum interuentu ſaltem duorum teſtium, quinquaginta ducatorum pœna puniatur.

De pœna vtentis commodato, ſeu locato præter conuentiones factas.

SI quis ſibi commodatam rem alicui alii commodauerit, ſeu in alium locum, vel vſum quam deſtinatum operatus fuerit, inuito domino, aut eo inſcio, accuſatus intra vnum menſem ab eo, & non ab alio, quinq; ducatorum pęna puniatur, præter intereſſe & damna ipſi domino rei reficiēda, in quo caſu inquiſitio ſit nulla. Si vero re locata quis vſus fuerit ad alium vſum, vel locum, quam fuerit deſtinata, incidat in pœnam ſupradictam.

De pœna vtentis rebus alienis.

QVamquam qui aliena re vtitur inuito, aut inſcio domino, actione furti poſſit conueniri, nihilominus ſuſpendentes in hoc pœnam de furtis, Statuimus & ordinamus, quod ſi quis auſu temerario ſibi acceperit rem alienam, vt ea vtatur inuito, aut inſcio domino, pœna quinq; ducatorum puniatur, præter ſolutionem mercedis, & damni emendationem, aut intereſſe domino faciēdi, qui, & non alius in præmiſſis accuſare poſſit intra vnum menſem tantum.

De furantibus vuam in ciſtis, deque auferentibus palos, aut cannas de vinea.

SI quis vuam in ciſtis poſitam tempore vindemiarum furatus fuerit, vltra duos racemos, puniatur pęna quatuor duc. Si quis autem paratas cannas, aut palos in vitibus affixos de vinea furatus fuerit, eadem pœna puniatur, & credatur domino accuſanti intra menſē, cum iuramento, necnon cuſtodi communis intra triduum. si vero vitibus affixos, duplici pœna puniatur.

De murantibus in locis publicis, aut priuatis. & in eis macerias detinentibus

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis in viis, aut aliis locis publicis ædificauerit murū, ſeu maceriam ſine licentia communis, xx. ducatorum pœna puniatur, & nihilominus ædificiū ipſum deſtruat intra triduum poſt monitionem curiæ ei factam, ſub eadem pœna; quam monitionem ſi neglexerit, & pœnam ipſam ſoluat, & grauioribus compellatur pœnis. Qui vero in loco alieno priuato murum, ſeu maceriam erexerit, ſeu ædificauerit inuito domino, aut eo inſcio, quinque ducatorum pœna puniatur accuſatus, & conſtructa deſtruat.

De abrenunciantibus pignora.

SI quis pignus executori curiæ abrenunciauerit, aut mandatario, puniatur pœna quatuor carl. Excuſentur autem ab hac pœna virgines innuptæ ſub aliena poteſtate, & cuſtodia degentes in eadem domo, necnon cęteri de familia ibidem commorantes, ſi in abſentia patris, ſeu matrisfamilias dixerint executori qnod redeat, vt poſſit patrifamilias redeunti referre, ſed ſi ſecunda vice, tempore congruo, redierit executor, non excuſetur a pœna prædicta, qui deuegauerit; minores autem xiiij. ſemper excuſentur.

De euellentibus, ſeu deſtruentibus terminos.

SI quis terminos inter Priuernates & finitimos deſtruxerit in totum, vel in partem, aut eos euellerit, ad triremes per triennium condemnetur, præter reſtitutionem & repoſitionem terminorum. Si quis vero inter Priuernatum bona terminos deſtruxerit muratos, aut aliter poſitos in totum, vel in partem, aut eos euellerit inuitis, aut inſciis dominis, vel eorum altero, ſeu limitem deuaſtauerit, aut foſſam repleuerit pro terminis habitam & habitum, x. ducatorum pœna puniatur, ac damna & expenſas illas patienti reficiat.

De tumultuantibus.

STatuimus & ordinamus, quod vbi euenerit aliquis caſus inter ciues, vel habitatores Priuerni, ſeu inter eos & curiam, in quo tumultus oriatur, qui cauſam, ſeu originem tumultui dederint, ſi in tumultu ipſo ſanguinis effuſio non interuenerit, ad triremes per quinquennium condemnetur, & dimidia pars bonorum ſuorum publicetur. Reliqui vero in tumultu ſe immiſcentes iniuriando, puniātur arbitrio iudicis in aliquam pœnam pecuniariam, ſeu corporalem, perſonarum, & facti qualitate conſiderata; Si vero cum ſanguinis effuſione tumultus fiat, principales in tumultu pœna capitis puniantur, cum publicatione dimidiæ partis bonorum vt ſupra. Et reliqui ſe

immiſcentes arbitrio iudicis etiam cum extenſione pœnarum corporis afflictinarum puniatur.

Contra vero Curiam,ſeu ipſius officiales reſpectu ſuorum officiorum ſi fuerit ortus & motus tumultus,puniantur in eo delinquentes pœna capitis,cum publicatione omnium bonorum ſuorum,etiam quod ſine ſanguine tumultuatum in eos fuerit,& tumultus intelligatur cum a decem hominibus & ſupra vnanimiter in aliquem itur,acclamantibus & minitantibus, aut in eius domum corruentibus.

De Abolitione.

CVm interdum plerique ad accuſandum in maleficiis ira ſe curiæ repræſentent accenſi, qua extincta,factiq; pœnitentes nollent ad accuſationem irruiſſe; Hoc præſenti ſtatuto ordinamus, quod in quacunq; propriæ perſonæ offenſione ſine ſanguinis effuſione,Cognatus, Agnatus, & Affinis vſq; ad tertium gradum de iure canonico,Compater,Commater, Filianus,ſiue Filiana, cohabitator,ſeu vicinus offendentis in accuſatione admiſſus,poſsit renuntiare accuſationi, & eius abolitionem petere ante quidem publicationem proceſſus,pro qua abrenunciatione carl. duos ſoluat accuſatus, D.Poteſtati, Communi,& Cancellario æqualiter diuidendos,& proceſſus deleatur,nec aliter contra ipſum accuſatum procedatur quomodocunq; ſuper delicto abolito.

De pœna minorum xiiij. annis in maleficiis.

STatuimus & ordinamus,quod minor xiiij. annis in maleficijs,& extraordinariis,& maior x. dimidias pœnas ſoluat pecuniarias,& ad ſtatutarias corporales nullo modo teneatur. Minor vero x. annis nullis pœnis ſubiaceat quibuſcunq;,ſed correctioni parentũ,& præceptorũ relinquatur.

De demolientibus murum alienum.

SI quis alienum murum in totum,vel in partem demolitus fuerit,vltra demolitionem iniuriosam decem ex eo lapidum intra Priuernum,x. ducatorum pœna puniatur. Extra vero quinque ducatos ſoluat,& nihilominus murum reficiat ſuis ſumptibus;qui vero lapidem alienum, aut ex aliena maceria detraxerit in ſui,aut alterius vſum,duorum ducatorum pœna puniatur,ſi intra Priuernum,præter alias pœnas de ingreſſu ad locum,aut aliter ſi quas incurrerit. Si vero extra Priuernum e maceria,vel aliunde,lapidem alienum quis detraxerit,quinque carlenos ſoluat præter pœnas vt ſupra.

Quod molendinarij non retineant frumentum proprium in molendinis.

SI quis piſtor,aut molendinarius frumentum præter de molituris acquiſitis retinuerit in piſtrino,vel molendino de ſuo proprio,aut eius farina vltra conueniens tempus,in eo forſan habuerit,duorum ducatorum pœna puniatur,& ita deportatum illuc frumentum,aut ibi retentũ amittat,necnon farinam non intra conueniens tempus reportatam,& illic permanentem etiam amittat;& credatur cuilibet accuſatori cum vno idoneo teſte.

De molendinarijs & cane non retinendo in molendinis.

SI quis molituris ordinariis molentem defraudauerit piſtor,aut is,cuius fuerint molituræ, pro qualibet defraudata molitura,ducatum vnum ſoluat,& molituras reſtituat defraudatas,& credatur cum iuramento molenti,& defraudato,ſi intra triduum accuſauerit.

Item ſi quis piſtor,aut molendinarius ordinem in molendo deturbauerit,aut deturbari permiſerit in iniuriam,aut detrimentum tertii,eadem pœna puniatur.Nec excuſetur a pœna allegando violentiam,ſi non obturauerit imboccatoriam.

Item ſi piſtor,aut alter in piſtrino habens intereſſe,canem in ipſo piſtrino retinuerit, ſingulis diebus accuſatus carl. quatuor perſoluat. Si quis imboccatoriam aperuerit inuito piſtore,vt molat in eius contemptum,duorum duc. pœna puniatur.

De deferentibus arma probibita.

SI quis arma prohibita per terram Priuerni,aut extra deambulando circum eius mœnia. aut cõmorando in portis per cannas xxxx. ſeu in callectis,ſicut vadit via inferior ab eccleſia ſanctæ Margaritæ ad eccleſiam verſus S.Spiritus,eiuſque ad calcariam ſitã infra hortũ S.Thomæ, eiuſq; angulum deprehenſus fuerit portare temporibus vetitis,dummodo non per tranſitum,ſed in dictis locis perſiſtat,ſoluat pro quolibet genere armorum prohibitorum duc. quatuor,ſed pro pila plumbea,quam plumbatam appellant,ſoluat deprehenſus vt ſupra duc. x. Adiicientes quod in manifeſta delatione armorum prohibitorum non procedatur per inquiſitionem,aut accuſationem, ſed per apprehenſionem & capturam etiam ſine aliquo proceſſu. In occultam vero armorum prædictorum deportationem per loca prædicta poſsit procedi per accuſationem & per inquiſitionem cum legitimis teſtibus,ſeu indiciis.

De pœna Monopolij.

CVm Monopolia in graue præiudicium vergant humani generis,ideo hoc ſtatuto ordinamus, quod ſi qui monopolia conſtituerint,ſeu contraxerint,quinquaginta duc. pœna puniantur in quemlibet,& monopolium ipſum deſtruatur.

De pœna retinentium beſtias externas in fraudem communis.

SI quis inter beſtias ſuas alias beſtias exterorum,qui ciuium priuilegio non gaudent, retinuerit cuiuſcunq; generis immiſtas in territorio priuerni,in fraudem communis,& aliorum ciuiũ priuernatum,ſiue colore ſocietatis, vel alias quomodocunq;.x.duc.pœna puniatur,& earum externus proprius dominus pro diffidatis beſtiis & ſingulis diebus pœnam ſoluat,& credatur legitimo accuſatore in præmiſsis cum iuramento & vno idoneo teſte,qui accuſator dimidium pœnæ lucretur,reliquum vero commune.

De pœna ementium & vendentium fruges non recollectas,& alia victualia ad pretium certum.

AD tollendum pauperũ quodãmodo extorſiones,ſtatuimus & ordinamus,quod nulli perſonæ liceat,nec ea debeat contrahere emendo,vel vendendo,aut per modum depoſiti. frumentũ, & cætera quæ appellatione frugum veniunt de iure communi,vinum,aut oleum,aliquo modo ad nouas fruges,& ante tempora recollectionum rerum prædictarum,videlicet,pro certo, & declarato pretio,ſub pœna x.duc,tam a venditore,quàm emptore ſingulariter ſoluendum, & nihilominus contractus huiuſmodi inter partes celebratus ipſo facto ſit nullus;Liceat tamen emere & vẽdere ante tempus pro pretio videlicet declarando,ſeu imponendo a ſuperioribus, aut communitate Priuerni tempore conſueto,ſtatuto de monopoliis firmo remanente.

De prouocatione ad duellũ.

SI quis ad duellum prouocauerit aliquem,ſeu(vt dicunt)diffidauerit,pœna quinquaginta duc. puniatur,ſimiliter & prouocationem acceptans ſine licentia curiæ.

De percuſſo de Nocte,vel occulte.

STatuimus & ordinamus, quod percuſſo de Nocte,vel aliter occulte credatur de percuſsionibus,& percuſſorum cum vno ſaltem teſte idoneo,dummodo percuſſus,vt ſupra ſit bonæ & honeſtæ famæ.

De Maleficiis & facturis,ac ſtrigibus.

SI quis maleficus,aut facturator,aliquam facturam fecerit quomodocunq; in damnum & præiudicium alicuius perſonæ,adeo quod impedimentum,aut damnum ipſum appareat, conuictus primo ad emendationem damni teneatur,ſi emendari poſsit deinde ipſius bona quæcunq; publicentur,& ſi in vires curiæ peruenerit,vlterius ad triremes perpetuo condemnetur. Si vero ea perſona malefica,quæ vt ſupra deliquerit,fuerit mulier præter emendationẽ damni,& præter publicationem ipſius bonorum,perpetuo relegetur. Sed ſi ex factura ipſa nullũ damnum,aut impedimentum perſonale euenerit,xx.duc.pœna dumtaxat maleficus puniatur. Eæ vero, quæ ſtriges vulgo appellantur,ſic & ſtrigones,præter pœnas publicationis ſuorum bonorum, pœnis legum puniantur.

De fideiuſſore repræſentante ſuum principalem.

SI quis fideiuſſerit pro aliquo de ſe repræſentando,aut de ſecuto carcere,& ipſum etiam quod non fuerit a curia requiſitus repræſentauerit,aut adduxerit in vires curiæ,adeo quod poſſet in dexiulum arctius in cuſtodiã detrudere,abſoluatur penitus a fideiuſsione in cauſa præſtita, ſi cum hac proteſtatione ſuum principalem repræſentauerit,& vt ſupra adduxerit.

De dantibus fauorem & auxilium in Maleficiis.

SI quis fauorem,aut auxilium cooperarium dederit alicui in Maleficiis quibuſcunque,ſeu ſciẽter,vel doloſe ad illa committendum inſtrumentum aliquod accommodauerit,in eodem maleficio eſſe cenſeatur.

Quod mulier non bonæ famæ non moretur in vicinia inuitis vicinis.

SI qua mulier non bonæ famæ,quæ ad ſe ſaltem duos admittit fornicatores, monita ſemel per curiam ad inſtantiam viciniorum,morata fuerit in vicinia in qua habitat inuitis, ſeu conquerẽtibus ſaltem quatuor vicinis propinquioribus, D. Poteſtas teneatur ipſam a dicta vicinia expellere,ſub pœna x.duc de ſuo ſalario auferendo.

De Chriſtianis fœnerantibus.

STatuimus & ordinamus,quod ſi quis Chriſtianus de vſuraria prauitate conuictus fuerit, puniatur ſecundum formam ſacrarum conſtitutionum,& earundem conſtitutionum forma in procedendo contra vſurarios ſeruetur.

De libellis infamatoriis & ſimilibus.

SI quis libellum infamatorium contra aliquem nominatim in aliquo loco affixerit,aut cornua, ſeu aliã turpẽ rem in pariete ſuæ domus,ſeu hoſtio appenderit,aut per feneſtram immiſerit intro,ſeu per hoſtium,quadraginta ducat.pœna puniatur.

De Simoniacis.

SI quis ſuggerente malitia D.Poteſtatem & iudicem,ac executores,cuſtodes & alios officia habentes in palatio communis per ſimoniam corruperit.pœna xxv.duc.puniantur,tam corrumpens,quam corruptus,vltra emendam damni,ſi alicui damnum euenerit,quæ pœna quo ad D.

 Poteſtatem

poteſtatem de ſuo ſalario auferatur. Si vero corruptela non fuerit conſumata, ſed tantummodo attentata, tentans dimidia pœna puniatur.

Quod Maior xiiij. annis admittatur ad Accuſandum.

STatuimus & ordinamus, quod maior xiiij. annis habeat legitimam perſonam ſtandi in iudicio in cauſis criminalibus & damnorum datorum, niſi in caſibus, in quibus perſonæ extraneæ non admittuntur ad accuſandum per ſtatutum.

De *Cautionibus præſtandis per forenſes Accuſantes In Maleficiis.*

SI quis iuriſdictioni Priuerni non ſubiectus aliquem ciuem in maleficiis, aut in aliis quibuſcunq; accuſare voluerit coram noſtra curia, non audiatur, niſi primum fideiuſſorem dederit de reficiendo expenſas in caſu ſuccumbentiæ.

De *citationibus Rerum in Contumacia.*

STatuimus & ordinamus, quod in cauſis criminalibus quando citantur rei accuſati, ſeu inquiſiti ad reſpondendum; tranſmittatur eiſdem in citatione ipſa tenor accuſationis, ſeu inquiſitionis, aliter citatio ipſa nulla ſit.

De *Occupante Rem Communis, aut viam publicam ſeu vicinalem.*

SI quis rem ſtabilem communis, aut vias publicas, ſeu illarum aliquam partem ſibi occupauerit & in ſuam poteſtatē redegerit, præter reſtitutionem, duc. xx. pro pœna ſoluat. Si quis vero viā vicinalē inuitis vicinis occupauerit, dimidia pœna puniatur, & res, ac vias occupatas reſtituat.

De non emendo rem litigioſam.

SI quis rem litigioſam pendente lite ab aliquo emerit, tantumdem pro pœna pendat, quantum res valet, & emptio huiuſmodi nihil valeat, venditorq; pretium receptum emptori reſtituat, & eadem pœna puniatur.

De *carceratione Mulierum.*

SI qua mulier non meretrix publica ob aliquod maleficium veniret carceranda, non detineatur in carceribus communis propter honeſtatem, ſed in domo ſenioris D. Officialis, & cum ſuis fœminis, & caſu quo ipſe officialis noluerit eam retinere libenter, cogatur a D. Poteſtate per viam præcepti quotiens opus fuerit ad eam retinendam ſub ſua cuſtodia clauſam, ac compedibus aſtrictam prout detentori pro ſua cautela placuerit, dummodo ut ſupra cum ſuis fœminis in ſua domo eandem retineat. In caſu autem fugæ huiuſmodi detentæ mulieris, non excuſetur qui eam detinuerit vt ſupra a pœna per iudicem imponenda, ſi per eiuſdem negligentiam aufugerit. Ii vero qui eam in iniuriam curiæ extraxerint de domo carceris prædicti, puniātur pœna, qua ueniret punienda ipſa carcerata, & publicationis omnium bonorum.

De cuſtodia Carceris.

NVllus Centurio teneatur cuſtodire carcerem cū ſuis armatis militibus neceſſariis de ſua porta, niſi ad mandatum dominorum officialium. Cuſtodes vero communis, nec alius quiuis officium habens in palatio non teneatur vllo modo ad cuſtodiam carcerum ad hoc vt ſuum officiū valeat quis exercere.

De cauſis criminalibus carceratorum expediendis.

STatuimus & ordinamus, quod ducto reo in carcerem propter aliquod maleficium, debeat iudex ſub pœna xx. duc. de ſuo ſalario auferendo intra menſem ipſum expedire in cauſa vbi reus venit puniendus pœna corporis afflictiua; ſi vero reus ueniret puniendus pœna pecuniaria, debeat iudex expedire cauſam intra decem dies, ſub pœna xx. duc. de ſuo ſalario auferendo.

De non aſtringendo aliquem ad fideiuſſionem de ſe præſentando ſine Cauſa expreſſa.

STatuimus & ordinamus, quod D. Poteſtas, ſeu iudex Priuerni non poſsit aſtringere ciuem, aut incolam Priuernatem ad dandū fideiuſſores de ſe præſentando, niſi expreſſa ſpecialiter cauſa propter quam fideiuſſores dari iuſſerit. Si vero D. Iudici non videbitur expediens cauſam exprimere, reus præſtet fideiuſsionem ſine expreſsione cauſæ, quo caſu dicta fideiuſsio poſt menſem intelligatur caſſa, & annullata, & nullam habeat firmitatem.

STATVTORVM

Priuerni Liber Quartus Super Damnis datis.

De Pœna Deuaſtationum.

STATVIMVS & ordinamus, quod ſi quis dederit guaſtum in vineis alienis pullulantibus & habentibus oculos teneilas, ſeu vineis florentibus eum ſpinis, perticis, & ſimilibus, vel guaſtũ dederit in fructibus maturis, ſeu immaturis, in arboribus fructiferis vbicunq; exiſten. ſiue ipſarum arborum ramis, floribus & fructibus, aut aliter quomodocunq; guaſtum dederit pœna triremium per tres annos puniatur, vltra emendam damni, damnum paſſo reficiendi, & licet hic caſus ſit inter maleficiã numerandum. Tamen propter mixturam quam habet damnorum datorum, viſum fuit in principio præſentis libri de eo ſtatuere, & accuſatio in præmiſsis ſit vtilis per annum; per inquiſitionẽ vero perpetuo procedi poſsit.

De colligendo fructus, ſeu poma aliena.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis inuito domino in alienis locis non clauſis fructus arborũ & poma quæcunque, ſeu matura, ſeu immatura collegerit, x. carl. pœna puniatur accuſatus.

In arboribus vero in hortis & in aliis locis clauſis, ſeu reſeratis muro, aut maceria, aut ſæpe, aut foſſo extra Priuerni mœnia, pœna xx. carl. puniatur accuſatus, intra mœnia vero Priuerni pœna duplicetur, & eandem pœnam incurrant vuas maturas, ſeu immaturas è pergulis colligentes.

Si vero is, qui vt ſupra damnum dederit, murum, maceriem, ſæpe, & quaſcunq; alias clauſuras eruperit, ſeu hoſtium fregerit, præter pœnas de locis clauſis, pœna trium duc. puniatur; pro deuaſtatione clauſuræ, ad quam deuaſtationem procedi etiam poſsit intra menſem.

De portan. fructus, quos non habet in prædijs ſuis.

SI quis inuentus fuerit portare de fructibus quibuſcunq; & conſtiterit de eo genere fructuum non habere, eandem pœnam xx. carl. reportet, niſi docuerit legitime a quo habuerit, de quo credatur accuſatori cuicunque cum vno teſte idoneo. & repertus cum dictis fructibus, ab executoribus poſsit duci ad palatium cum eiſdem fructibus, & retineri, donec rationem reddiderit, vnde habuerit.

De licentia concedenda in alienis locis.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis vtilem licentiam in alienis locis habere deſiderauerit a propriis dominis, ſeu illorum conductoribus, curet eam deſcribi facere in actis curiæ per Cancellarium communis, cum ſolutione duorum quatrenorum pro qualibet perſona impetrante, & per quot dies, alias non proſit. Liceat autem domino rei, ſeu conductori quoſcunq; ſecum retinere in locis ſuis, ſine aliqua illorum pœna, & obuiando aliquorum maleficiis, qui vocant & inuitant aliquem ad eorum fructus, ordinamus quod ſi quis viſus fuerit in ſuo loco proprio aut cõductor ſecum habere aliquem quem non eiicere procuret, aut in eum tamquã damnum dantem non clamet, nullam habeat actionem accuſandi in illo actu. Liceat etiam vxori & filiis vtriuſq; ſexus maioribus xiiii. & cum patre conuiuentibus, ac ſorori in eadem domo cõmoranti, in rem mariti & patris, ac fratris reſpectiue ſecum adducere quaſcunq; perſonas ſine aliqua pœna.

Sic & matri etiam liceat adducere in rem filii ſecum in eadem domo commorantis.

Inſuper liceat impune omnibus & ſingulis in eadem domo & impenſa conuiuẽtibus in re propria, aut conducta ab aliquo de eadem familia ad libitum de illius fructibus colligere etiam ſine aliqua vt ſupra deſcripta licentia, quod & liceat patri ac matri & aliis in re propria, aut conducta, ſiue dotali filii, ſeu nepotis ſine aliqua vt ſupra licentia, & econuerſo nepotibus in re Auorum propria, ſeu conducta, aut dotali liceat vt ſupra honeſte inuicem fructus colligere.

De damnum dante in re vicini.

SI quis in fructibus in re vicini exiſtentibus damnum dederit quomodocunq; eos colligendo, vſque ad tertium vicinum incluſiue, duplici pœna puniatur, reſpectiue ad pœnas ſimplices dãnorum datorum quorumcunque.

De damnum dante in horto non clauſo.

SI quis damnum dederit in oleribus, ſeu aliis, cepis, peponibus, & ſimilibus in hortis non clauſis exiſtentibus x. carl. ſoluat.

De damnum dantibus in malis aureis exiſtentibus in plâtea communis.

SI quis de malis aureis exiſtentibus in arboribus plateæ communis aut collegerit, aut corruperit, x. carl. pœna puniatur de facto pro quolibet malo ablato, liceat autem infirmo, & prægnanti fœminæ ex illis colligere, aut colligi facere ſiue vlla pœna vnum, aut duo in eorum vſum, cum licentia tamen D. Reſidentis.

In vineis.

SI quis in vineis alienis damnum dederit manualiter a Kalen. Aprilis quouſq; uindemiatæ fuerint, & ultra per totum menſem Octobris, xx. carl. pœna puniatur, ſiue damnum ſit darũ in vua, ſiue in fructibus, aut alijs rebus exiſtentibus in uinea. Si autem in illas tantum ingreſſus fuerit, & damnum non dederit aliquid colligendo intra dicta tempora, x. carl. pœna puniatur. Alijs autem temporibus nõ liceat ingredi in uineas cauſa faciendi herbas, ſub pœna quatuor carl. & uinearũ nomina continere declaramus omnia loca arbuſtata cum adhærentia uitium, a quinquaginta arboribus & ſupra.

Item a dimidia petia & ſupra, etiam ſine arbuſtatione uitium.

Item ſi per duos annos non fuerit putata, uineæ nomen retineat, Vlterius autem nõ uineæ, ſed deſertinæ, & per alios duos annos, ulterius agri nomen retineat.

Item in uineam nõ uideatur ingreſſus, qui ad quatuor cannas uitibus non appropinquauerit, cum in eadem mer poſſeſſione uinea fuerit, & terra quoque non paſtinata.

In deſertinis vineis.

SI quis in aliena deſertina damnũ dederit etiam a Kalendis Aprilis & ulterius, ſi non erit uindemiata, quinque carl. ſoluat.

De uado exparato, ſeu aliter de nouo facto.

SI quis uadum exparauerit in uineis, & deſertinis, & alijs locis ſatis, ſeu conſitis quomodocũq; in quibus continuata maceries, ſeu ſæpes circum circa exiſtat, ſeu murus, præter pœnas de dãno dato, uel de ingreſſu in eas iuxta formam ſtatuti, pro exparatione quatuor carl. ſoluat.

In Oliuis.

SI quis in alienis Oliuis damnum dederit eas colligendo, decem carlenorum pœna puniatur.

In foſſis, ſeu cauatis.

SI quis in aliena foſſa, ut eam pertranſeat, limites demolitus fuerit, ſeu aliter eam replendo tranſitum ſibi parauerit, quatuor carl. ſoluat, ſi uero non pertranſiit, neque tranſitum parauit faciendo prædicta, dimidium pœnæ perſoluat.

In Cannetis.

SI quis cannas in canneto alieno defrondauerit, carl. quatuor ſoluat, ſi eas extirpauerit, ruperit, ſeu inciderit a quinque infra, unum ſolidum pro quolibet canna. Si extirpatas a domino inde extraxerit, decem carl. perſoluat.

In palis & ſarmentis.

SI quis palos, aut cannas uitibus in uineis alienis affixos excauauerit in ſuum uſum, a quinque ſupra uſque ad centum quinque carl. ſoluat, & ultra pro quolibet centenario carl. x. Si excauatos a domino, ſeu laboratore, aut aliter nouos illuc portatos, & non affixos inde abſtulerit, eandem penam ſoluat (quamquã) hic caſus inter furta ſit computandus, ſi quis ſarmenta ex aliena uinea ſibi abſtulerit, quatuor carl. ſoluat.

De proijcientibus ſarmenta & ſimilia in loca aliena.

SI quis de ſuo loco, aut de eo in quo laborat, proiecerit ſarmenta & ſimilia, lapides, ſeu arborũ fragmenta in aliena loca, publica, uel priuata, ſeu ibi ea collocauerit, ſeu reportauerit inuitis dominis, & communi reſpectiue, quatuor carl. ſoluat.

In pyris ſilueſtribus, & malis neſpulis & glandibus.

SI quis in alieno loco ſylueſtri pyratia, ac mala ſylueſtria, neſpula, & glandes, ac caſtaneas legerit, ſimiliter & fabas græcas, quas falzaratas vulgus appellat, ſoluat carl. unum, in ſiccas autem caſtaneas ſi quis in alieno loco ſylueſtri collegerit inuito domino, quatuor carl. ſoluat.

In Leguminibus.

SI quis in alienis leguminibus damnum dederit, de uiridibus ſibi colligendo per campum, dimidium carl. ſoluat, ſi ſicca, furti pœna puniatur ſi in magna quantitate, ſi uero in modica quantitate, carl. quatuor; & modica, uel magna quantitas arbitrio iudicis declaretur.

De metentibus Farraginem, ſeu Frumentum in berba, & cæteras herbas in locis non conceſſis, ac torta de frumento, aut bordeo non facienda.

SI quis frumentum, aut hordeum in herba metet alienũ inuito domino, xx. carl. ſoluat pro pœna. Si quis metet ut ſupra alienam, aut in herba, aut etiam ſiccam, x. carl. ſoluat.

Si quis tortam, aut ligamen fecerit de hordei, aut frumenti ſegete, aut lino, duos carl. ſoluat pro qualibet torta.

Si quis damnum dederit cum falce in alienis pratis, lupinarijs, & locis ghiffatis iuxta formam ſtatuti, inuitis dominis, quatuor carl. ſoluat. & in herbarum pratorum caſibus non excuſerur de eis portans, niſi legitime probauerit illas feciſſe in ſuo prato, non obſtante ut ſupra ſtatuto aliquo

ſuper

ſuper inuentione. Si quis alienum linum eruncauerit inuito domino, x. carl. ſoluat.
Si quis in aliena farragine, aut herba ſata falcem immiſerit, duos carl. ſoluat.

De deuaſtantibus capannas alienas & in ea beſtias immittentibus.

SI quis alienum tugurium inuito domino in totum deſtruxerit detegendo, quatuor duc. ſoluat, ſi in partem illud deuaſtauerit qũodocunq;, dimidiũ dictæ pœnæ perſoluat, ultra dãni emendã.

Si inuito domino quis in tugurium alienum beſtias introdvxerit, aut ingredi eo compulerit, pro qualibet beſtia duos carl. ſoluat.

De damnum dante in foreſtis alienis.

SI quis in aliena foreſta inuito domino ligna inciderit, uirgulta, aut palos, quatuor carl. ſoluat ſtatuto de caſtaneis ut infra ſemper ſaluo.

De incidentibus ligna caſtanearum.

SI quis inuito domino in alienis locis ligna caſtanearum inciderit, & ſine licentia curiæ ut moris eſt, pro qualibet trabe magna ad uſum pauimenti, ſeu aſtraci, ut uulgo dicunt, ſoluat ducat. duos pro pœna.

Pro trabicella ducatum vnum.
Pro qualibet corda duc. duos.
Pro qualibet filarola carl. xv.
Pro quolibet decurente carl. quatuor.
Pro qualibet ſalma ipſorum lignorũ ad vſum ignis carl. quatuor.
Pro quolibet vimine extra faſcem carl. vnum.
Pro quolibet iugo carl. quatuor.
Pro qualibet pertica carl. quatuor.
Pro quolibet petio manu, aut humeris portato a prædictis differente carl. duos.
Pro qualibet planicella carl. vnum.
Pro qualibet deconſerna carl. medium.
Pro qualibet ſalma ex ramaceris carl. vnum, & ramacia eſſe declaramus ligna ad vſum ignis virentia; arida uero liceat impune aſportare, quã licentiam etiam curiæ requirat proprius D. caſtanearum, tam in ſuis, quam in alienis caſtaneis, de quibus incidẽdis ab eorum dominis habeat etiam licentiam, deſcribiq; eam faciat per Notarium ciuilium cum ſolutione vnius quatreni pro qualibet ſcripta licentia, aliter non excuſetur a pœnis præmiſsis. Quod etiam facere debeat non ſolum incidendo, ſed etiam præmiſſa lignamina attrahendo, aut portando de locis ad loca; & in præmiſsis procedi poſsit per accuſationem a quolibet etiam non cuſtode cum iuramento & uno teſte, etiam ubi ipſa ligna inuenta fuerunt inciſa, tam contra retinentes, quam attrahentes nõ probantes de licentia per acta curiæ. Cuſtodes uero ex officio in præmiſsis accuſare poſsint ſine alio teſte, non obſtante ſtatuto ſupra inuentione in damnis datis, & licentiæ prædictæ non durent vltra quatuor dies.

Item quod domini caſtanearum & eorum quilibet, qui damnum intra menſem inuenerit datũ per illarum inciſores, poſsint & poſsit illud repetere ſibi emendandum a cuſtodibus caſtanearũ, quibus reſeruamus actionem inquirendi contra attractores & portitores lignorum caſtanearum per ipſum prædictum menſem, ſtatuto de viſoribus in aliquo non obſtante; vbi uero aliquis inuẽtus fuerit ſolus extraxiſſe de dictis lignis intra dictum menſem, ſolus ſoluat, ac damnum emẽdet. Si uero plures inuenti fuerint ut ſupra inquiſiti attractores, niſi inter eos inueniatur damnũ dans, communiter damnum emendent, ſi de licentia non docuerint ut ſupra.

De auferente ligna caſtanearum.

SI quis ſub colore impetratæ licentiæ abſtulerit de alienis locis inciſa ligna caſtanearum inuito domino, eaſdem pœnas reportet reſpectiue iuxta qualitatem lignorum, in ſuperiori ſtatuto expreſſorum, quas in ſuis locis poſuimus, tamquam ſi auferens prædictus ea inuito domino inciduſſet in alieno loco, in quo caſu ſtatuimus etiam, quod per modum inquiſitionis procedi poſsit per curiam habitis legitimis inditiis intra menſem, tã ad reſtitutionẽ damni; quã ad ipſas pœnas

De auferente alia ligna inciſa quam Caſtanearum.

SI quis de alienis inciſis lignis ubicunq; exiſtentibus abſtulerit inuito domino, ſoluat pro qualibet ſalma, præterquam in palis & in faſcibus uirgultorum carl. quatuor.

Si quis autem palorum, faſcem, aut inciſorum virgultorum, quos vocant fraſcas, in alieno loco, præterquam in uineis, inſcio, aut inuito domino abſtulerit, ſoluat carl. unum pro quolibet faſce. Liceat autem domino rei, in qua inciſa is ligna inuenerit cuiuſcunque generis palos, aut fraſcas, ea & eas in ſuum uſum impune conuertere.

De traiecta & ſemita.

STatuimus & ordinamus, quod nulli liceat facere traiectam, ſeu ſemitam in alienis locis ſatis, neq; per factas traiectas tranſire, tam pedeſtri itinere, quam cum animalibus, & qui contrafecerit, ſoluat pedeſter carl. unum, & ſi beſtias per eam duxerit, vltra pœnam prædictam ſoluat aliũ carl. unum pro qualibet beſtia, in locis uero ſodis, non ſatis, clauſis, ſeu apparatis idem ſtatuimus, & eaſdem pœnas imponimus.

De ſtante iuxta arborum fructus & in cauatis vinearum.

SI quis iuxta arborem habentem fructus ſteterit ad vnam cannam in alieno lo co inuito domino, etiam ſi ex eis non collegerit, eandem pœnam ſoluat, quam ſi collegiſſet. Si quis uero in cauatis uinearum ſteterit inuito domino ad unam ut ſupra cannam iuxta uites illarum, ſoluat pœnas ſupra poſitas de ingreſſu vinearum ſine damno reſpectiue ad tempora, ſed de dictis pœnis excuſetur finitimus vicinus in ſuo loco, & in aliis vtis iuxta arbores & vineas commorando.

De incidente palmites vitium, & eas de locis auferendo.

SI quis in alieno loco inuito domino palmites vitium, quos uocant capita. pro paſtinatione inciderit, ſoluat carl.x. pro quolibet centenario eorundem. Si quis ex eis inciſis de alienis locis abſtulerit inuito eorum domino, ſoluat carl.quinq; pro quolibet centenario, tam ſi illos effodetit, quam ſi ex aqua, in qua manſerint manutenendi, abſtraxerit, & abſtractos reſtituat.

De venientibus ad molendinum exteris, ac inuentis cum fructibus, ſeu palis pro igném.

SI quis exterus ad molendinum uenerit in quodcũq; piſtrinum ſitum in territorio Priuerni, tam eundo, quam redeundo inuentus fuerit cũ vuis, aut aliis fructibus, quos uериſimile poſsit eſſe in agro priuernati collectos fuiſſe, eandem pœnam ſoluat, quam ſi ciuis in ſimilibus damnum daret manuale, niſi doceat a quo habuerit. Item ſi exterus ueniens ut ſupra in piſtrinum palos, aut ſarmenta. aut ramos arborum fructiferarum pro igne faciendo illuc attulerit, quatuor carl. ſoluat; ſic etiam piſtor recipiens palos, ſarmenta, aut ramos ut ſupra.

De auferen. paleas ex aliena area, ſeu illam recolligen.

SI quis ex recollecta aliena area inuito eius domino paleas abſtulerit, ſoluat carl. vnum pro qualibet ſalma, ſi autem ex non recollecta area ut ſupra abſtulerit paleas, duplum ſoluat. Si quis vero alienam aream recollegerit inuito domino in totum, uel in partem, duos duc. pro pœna ſoluat, & damnum emendet in omnibus.

De Sandalaria.

SI qnis linnm immiſerit in Sandalariam, aut in eam uallum, quam paratam uocant, ſtruxerit, ſeu fecerit, quatuot carl. ſoluat.

De beſtijs damnum dantibus in vineis, ac deſertinis,

STatuimus & ordinamus, qnod ſi alicuius beſtia groſſa ſupra annum inuenta fuerit damnum dare in alienis vineis non deſertinis, foſſa, nel ſæpe, nel maceria circundatis ab idibus Martii vſq; ad Kal. Nouembris, illius dominus ſoluat carl.v. pro qnalibet. Pro beſtia autem cuiuſcunq; generis infra annum, ſi matrẽ non ſequatur lactantem, ad dimidiatas pœnas teneatur illius dominus in omnibus damnis datis. Si vero matrẽ ſequatur lactantem, nullis pœnis ſubiaceat. Pro quolibet grege caprarum, quam morã nocant, earum dominus ſoluat ducatos duos, & infra x. pro qualibet carl. medium. Pro quolibet grege Onium, Agnorũ, ſeu Veruecum, ducatum vnum. Pro quolibet trunco porcorum a x. ſupra ducat. duos, a x. nero infra carl. medium pro quolibet porco. Aliis autem temporibus anni pœnæ omnes ſupra poſitæ reſpectiue dimidientur; & damnum in uinea dicetur, tam in fructibus, quam in cõculcatione & calpiſtratione; & ſi nullum apparuerit damnum datum, pœnæ omnes ſupra poſitæ pro ſolo ingreſſu dimidientur. In alienis deſertinis pro beſtiis & gregibus ut ſupra, illarum dominus ſoluat pœnas dimidiatas reſpectiue ad pœnas prædictas & tempora ut ſupra.

In frumento Hordeo, & Leguminibus, ac Lino.

SI cinis beſtia groſſa ſupra annum (excepto Afello qui in omnibus damnis datis, præterquam in vineis, dimidiatas pęnas reportet) damnum dederit in aliena ſegete frumenti, hordei leguminum, ac lini, uel canapis innito domino, ſoluat eius dominus carl. vnum pro qualibet, & pro ea, quæ infra annum eſt non lactens, dimidium pœnæ, nam lactentes matrem ſequentes nullis pœnis ſubiicimus. Pro grege caprarum carl.v. & infra gregem pro qualibet beſtia bol. vnum cũ dimidio. Pro grege Ouium, Agnorum, ſeu Veruecum carl. x. & infra gregẽ pro qualibet beſtia bol. duos. Pro trunco porcorum Carl.xxv. & infra truncum pro quolibet porco carl. vnum.

In Lupinis.

SI alicuius beſtia, grex, & truncus animalium ut ſupra in proximo ſtatuto damnum dedérit in aliena Lupini ſegete. facta, tam ad aratrum, quam aliter, pro ea, & eorum reſpectiue gregibus animalium dominus pœnam ſoluat pro qualibet beſtia groſſa carl. vnum, & pro grege ſiue trunco minutarum beſtiarum carl. quinque.

In herbis ſatis, ac pratis ghiffato, & in cauatis, præter equina.

SI cuius beſtia groſſa ut ſupra damnum dederit in aliena farragine, herba ſata, a die ſationis quouſq; metatur & herba amoueatur, ſimiliter in pratis, & ghiffato, a Kalendis Martii per totum tempus reſecationis & amotionis, pro qualibet beſtia carl. vnum ſoluat eius dominus. In pratis uero exiſtentibus in pantano de prunetis, & in pantanellis, & in aqua de ficu, in quibus fœnũ

ta-dius recolligitur pœna damnum dantium duret a Kalendis Martii vſq; ad idus Auguſti,ſic ſi in cauatis inter vel circa ſata poſitis a dictis Kalendis quouſq; ſata leuentur, quod dicimus ammirginare,eiuſq; dominus pro eis ſoluat carl.vuum,infra annum dimidium ſoluat.

Si matrem ſequatur lactens,nihil infra ſcilicet annum,a quibus pœnis in cauatis beſtias domitas eximimus. Pro grege caprarum carl.v. Pro grege ouium carl.x.& infra gregem pro qualibet beſtia bol.duos. Pro trunco porcorum carl.xxx.& infra gregem pro quolibet porco carl. vnum. Si uero inueniantur beſtiæ equinæ etiam domitæ pedibus conuinctæ,ſeu infregiatæ,pœna earum ſit carl.v.pro qualibet,ſi liberæ,& non conuinctæ reperiantur,pœna ſit carl.duorum pro qualibet. Pro aſello uero carl. vnus ſoluatur,ultra damni emendam,& de nocte pœnæ ipſæ dupli ceutur,

De Ghiffato.

GHiffatum locum dicimus eſſe,& pro tali reputari ad fœnum,ſeu herbas reſeruatas,ubicunque in aliqua poſſeſsione per angulos illius effoditur terra eleuata aliquantiſper in formam parrui aceruι,uel cannæ per eoſdem angulos frondentes,aut ſi non frondentes, tamen cum aliquo a ligato in eis arido manipulo infiguntur,præſente uno teſte,dummodo ea ſit poſſeſsio ghiffata, quæ per Viſores communis in controuerſia declaretur rationabiliter ghiffata & apta ad nutriendum herbam pro fœno.

In Oliuetis & alijs arboribus,eorumque fructibus.

SI cuius beſtia groſſa ut ſupra in alicuius oliuis cæteriſque arboribus fructiferis damnũ dederit, eius dominus pro ea ſoluat,ſi in arbore damnum apparet datum,carl.quatuor, ſi in fructibus, carl unum,& infra annum non lactens dimidium pœnarum prædictarum.

Pro grege uero caprarum carl.xx.pro qualibet beſtia infra gregem carl.unum. Pro grege ouium carl.v.& infra gregem pro qualibet beſtia bol.unum cum dimidio. Pro trunco porcorum duc.vnum,& infra truncum pro quolibet porco carl.unum.

Declarantes,quod a Kalendis Septembris quouſq; ſint collectæ oliuæ capris, & porcis atque omnibus tranſeuntibus per olivueta ea pœna ſit ut ſupra.

Quod beſtiæ caprinæ quocunque tempore anni non poſſint vagari per foreſtas caſtanearum.

STatuimus & ordinamus quod beſtiæ caprinæ quocunque tempore anni,exceptis mẽſibus Decembris,Ianuarii & Februarii,in quibus infraſcripta prohibitio non intelligatur, non poſsint vagari,paſcere,neque morari per foreſtas quaſcunq; caſtanearum,ſeu caſtaneta territorii Priuerni,neque per oppella ſ per cannas quinquaginta, & caſtanetum intelligatur quæuis poſſeſsio habens arbores x caſtanearum,& ſupra,ſub pœna carl.x.pro quolibet trunco,& ſi cum cuſtodia inuentæ fuerint,pœna duplicetur,& nihilominus cuſtos earum pœna carl.quatuor puniatur.

De damno dato in fœnilibus,ſeu palearibus in terra & territorio Priuerni exiſtentibus.

STatuimus & ordinamus,quod nulli liceat neque manualiter neque per beſtias damnũ aliquod inferre in fœnilibus,ſeu palearibus pro tempore exiſtentibus,tam intra priuernum, quam extra per territorium quocunque tempore anni,ſub pœna carl.quatuor pro quolibet quo ad damnum manuale,quo uero ad beſtias carl.duorum pro qualibet beſtia groſſa,tam armentitia,quam domita,& carl.x.pro quolibet trunco porcorum,& carl.quinq; pro quolibet trunco aliarum minutarum beſtiarum,ultra damni emendam in omnibus præmiſsis caſibus.

Quod non liceat incidere mortellam in monticillo & in monte ſancti Laurentij.

STatuimus & ordinamus,quod liceat quibuſcũq; ciuibus priuerni ĩcidere,uel incidi facere myrtum ſiue mortellam in quibuſcunq; locis territorii priuerni,præterquam in monte nuncuparo il monticillo, & montis ſancti Laurentii,in quibus locis tantum inciſionem huiuſmodi prohibemus,cum loca hæc pro paſculis beſtiarum domitarum conſeruentur & defendantur,ſub pœna unius ducati pro quolibet,& qualibet uice,& cõtrauenientes quolibet die pœnam incurrant, & accuſari ualeant.

De licentia paſcendi in prædijs alienis a dominis concedenda.

STatuimus & ordinamus,quod liceat cuicunque domino aliis licentiam concedere paſcendi beſtias in ſuis prædiis quibuſcunque,dummodo licentia ſcribatur in actis curiæ cum ſolutione ſolita,alias dicta licentia nihil operetur.

De duplicatione pœnarum propter ſtudium,& propter plus ſemel,& de pœna paſtoris.

STatuimus & ordinamus,quod ſi quis dictorum animalium dominus de eis accuſatus fuerit in omnibus damnis datis de ſtudio,pro eis pœna duplicetur,quod ſtudium declaramus eſſe, cum conſtiterit de immiſsione beſtiarum data opera,etiam inuentarum ſine cuſtodia, & cum cuſtos communis,aut alius accuſator paſtorem cuſtodientem animalia uiderit per aliquod ſpatium tẽporis manentem ad ipſa animalia cuſtodiendum,damnum dantia in aliquibus poſſeſsionibus

ita quod poſsit conſiderari quod ſtudio culpa & malitia paſtoris animalia damnum inferant & non alias. Si uero paſtor huiuſmodi inuentus fuerit cum dictis animalibus damnũ dantibus illa forſan eiiciendo a damno,ſeu aliter,& non per interuallum temporis fuerint niſi morari cũ dictis animalibus damnum dantibus ut ſupra,tunc de ſtudio accuſari non poſsit. Et huiuſmodi pœnæ duplicatio intelligantur tantummodo in damnis datis,non autem in herbis intra campum,etiam quod ſtudioſe modo præmiſſo animalia ipſa fuerint inuenta.

Item ſi plus ſemel pro eiſdem beſtiis in eiſdem locis,in quibus beſtiæ ipſæ alias damnum dederint, earũ dominus accuſatus fuerit intra menſem poſt primam uicem,ſemper in aliis accuſationibus quibuſcunq; pro eiſdem beſtiis accuſatis,pœna ei ſimiliter duplicetur.

Item paſtor,ſub cuius cuſtodia accuſatus fuerit dominus pro ſuis beſtiis legitime in præmiſsis damnis datis ut ſupra,quatuor carl. ſoluat,& poſt primam uicem ut ſupra pœna ei etiam duplicetur,& damnum patiens in quolibet damno dato habeat ſemper actionem contra dominum beſtiarum,qui dominus poſsit retinere de ſalario famuli quaſcunq; pœnas,& damna ſoluerit ex culpa,ſeu dolo paſtoris,& poſsit etiã ipſum perſonaliter retineri facere a curia pro ſua indẽnitate.

Quod pro beſtiis dominorum Officialium & cuſtodum campi cõmunis pœnæ duplicentur.

SI Alicuius domini officialis,aut ex ſexdecim cuſtodibus communis,beſtia intra campum inuẽta fuerit,aut aliter damnum dare contra formã ſtatuti,pœna duplicetur pro ea reſpectiue ad ordinatas in ſtatutis.

Quod pœnæ dominorum officialium,Syndici,& Cuſtodum,ac Militum curiæ duplicentur.

SI quis dominorum Syndici & officialium,aut ex ſexdecim cuſtodibus communis qui non fuerint de cuſtodia illius diei,necnon & Miles,aut aliquis de familia curiæ accuſatus fuerit de dãno manuali,aut ingreſſu ad loca iuxta formam ſtatuti,duplici pœna puniatur reſpectiue ad ſtatutarias ut ſupra ordinatas.

Quod pœnæ de nocte duplicentur.

STatuimus & ordinamus,quod omnes & ſingulæ pœnæ in damnis datis,tam manualibus,quam pro beſtiis quomodocunque,præter in herbis intra campum,de nocte duplicentur.

In caſarciis,frumento meſſo,hordeo,& cæteris,quæ ſub appellatione bladorum veniunt,& eis eruncatis.

SI alicuius beſtia groſſa ſupra annum damnum dederit in caſarciis, frumento, cæteriſq; meſsis bladis,ſeu eruncatis,eandem ſoluat pœnam illius dominus,quam in ſegetibus reſpectiue ad animalia eſſe ſoluendam declarauimus per ſupra poſita ſtatuta,atque de ſtudio duplicetur.

De diffugio,ſiue effugimento.

SI cuius beſtia,vel grex,aut truncus per effugimentum accuſata fuerit,dimidias pœnas ſoluat eius dominus.

De beſtiis tranſeuntibus per ſata.

SI cuius beſtiæ aratoriæ,etiam ſequentes,ſeu præſente paſtore,per alienas poſſeſsiones trãſfuerſauerint,eundo ad arandum in aliqua loca pro huiuſmodi tranſuerſatione accuſari non poſſint,nec propterea earum dominus aliquam pœnam ſoluat,dummodo per limites poſſeſsionum vbi damnum non inferunt tranſierint. Si vero damnum intulerint,ad damni tantum emendam teneatur,Alia vero genera beſtiarum armentitiarum præſente paſtore in tranſitum in ſata, aut herbas alienas,paſtore ipſo illas ſtatim expellente abſq; aliqua mora,tunc accuſari nõ poſsint, nec condemnari,niſi ad damni emendam ſi quod fecerint.Si uero culpa paſtoris,aut illius negligentia eo tam præſente quam abſente beſtiæ ipſæ quæcunq; in ſata & herbas alienas intrauerint, & tranſuerſauerint,tunc pœna ſoluatur prout infra videlicet. Pro qualibet beſtia groſſa ſupra annum carl.medium,infra vero annum & non lactente bol.duos;lactentes nihil ſoluant. Per lupini ſegetem non factam ad aratrum pœnæ ſoluantur pro dimidia reſpectiue ad prædictas.

Pro porcorum trunco tranſuerſantium ſoluat eius dominus duc.duos & infra gregem pro quolibet porco carl.medium. Pro grege pecudino ſoluat eius dominus carl.x. Pro caprino tantundem.

In frumento,cæteriſque bladis trituratis in area.

SI cuius beſtia groſſa damnum dederit in bladis trituratis in area,& bladum dicimus quicquid ratione meſsium recolligitur,vſque ad ſemen lini,& lupini,pro ea ſoluat illius dominus duplũ quam ſi in ſegetem ante triturationem reſpectiue ad genus illud bladorum ſoluiſſet accuſatus;infra vero annum pro beſtia groſſa non lactente ſemper ad dimidias pœnas reputetur,pro lactente autem ad nihil ſoluendum eius dominus in omnibus damnis datis iudicetur.

Pro trunco porcorum,aut grege pecudino,ſeu caprino,ſimiliter ad duplum in præmiſsis condemnetur eius dominus.

De beſtiis in hortis.

SI cuius beſtia damnum dederit in alienis hortis,cæpis,alliis,braſsicis,lattucis, & aliis quæ veniunt ſub appellatione olerum,ſimiliter peponibus,cucurbitis,& ſimilibus conſitis,ſeu plantatis,ve

tis,vel ſatis pro ea dominus illius ſoluat carl.vnum,& pro ingreſſu ſine damno pœna in hortis in dimidiata. Pro trunco porcorum,pro grege caprino,ſeu pecudino eius dominus ſoluat carl.x. infra truncum pro quolibet carl.medium. Pro ingreſſu ſine damno in hortos pœnæ prædictæ beſtiarum minutarum in tertiam partem redigantur,& de ſtudio eædem omnes duplicentur.

De vado exparato, & maceria depulſa per beſtias.

SI cuius beſtia groſſa vadum paratum in a icuius poſſeſsione ſata,uel arboribus conſita fructiſeris,in horto,in vinea,& ſimilibus,ac ſæpe continua,vel foſſa,ſeu macerie, & ſimilibus circundata exparauerit,aut maceriem deiecerit,ſeu ſæpem fregerit,uel uallum, pro ea ſoluat dominus carl.duos præter alias pœnas pro ingreſſu,ſeu damno dato. Et ſi ſtudioſe dominus,aut paſtor immiſerit beſtias,ex qua immiſsione exparatio per beſtias facta fuerit,pœna duplicetur. Adiiciẽdo quod pro beſtiis de vado in præmiſsis vna poſsit accuſari,cum vna ſit,quæ exparet quamuis cœteræ ſequantur.

Quod pro pluribus accuſationibus in damnis datis in vno loco, & eodem tempore vna pœna ſoluatur.

STatuimus & ordinamus,quod ſi quis accuſatus fuerit de damnis,ſiue manualibus,ſiue per beſtias datis in vno loco,& eodem tempore,etiam quod in pluribus fructibus, & pomis damnũ dederit manuale,prout in vuis,ficis,perſicis,& ſimilibus,vnicam pœnam ſoluat, ſed in omnibus damnum emendet,& eodem modo ſi beſtia ingreſſa in horto damnum dederit in pluribus fructibus,prout in oleribus,cucurbitis,peponibus,& aliis,vnicam etiam pœnam ſoluat,ac in omnibus damnum emendet.

De beſtiis immiſſis ad potum in flumen Amaſenum, & Paulinum Mazzochium, & alias cauatas.

SI cuius beſtia groſſa immiſſa fuerit ad potum in flumen Amaſenum a ponte Monaſterii foſſa nouæ vſque ad flumen Eufridum,in quo curſu clauditur nouum flumen Paulinum factũ de anno 1551.a communi priuerni,per alia loca quam per vada,ad potatoria deputata, pro ea ſoluat eius dominus carl.duos. Pro trunco animalium minutorum carl.x. Quod ordinamus etiam in Mazzochium,cauatam ſandalariæ,& cauatam canapinarum a via parlotti infra, in aliis vero cauatis etiam de curſu beſtiæ ad potum immitti poſsint ſine incurſu pœnæ,ſic et in alias cauatas ſimiles groſſas de curſu,tam per campum de Ioſo,quam per campum de caſa fluentes ſuis temporibus.

De tranſuerſantibus Mazzocchium, Sandalariam, & alias cauatas groſſas de curſu in campo priuerni.

SI cuius beſtia groſſa tranſuerſauerit per Mazzochium,aut per Sandalariam, cæteraſque cauatas de curſu per territorium priuerni ſuis temporibus fluentes,ſiue fluant,ſiue non,quocunq; tempore anni,præterquam per pontes in eis.pro ea ſoluat eius dominus carl.duos,& vbi pontes dirupti fuerint,liceat tranſuerſare iuxta dictos pontes diruptos per cannas duas ſupra,vel ſubtus quorum pontium refectionẽ curare debeant octo viri campi,ſub pœna.x.duc.

Pro quolibet trunco animalium minutorum carl.x.& infra truncum pro quolibet animali minuto medium carl.& damna reficiat.

De beſtiis prope vineas noctis tempore.

SI cuius beſtia noctis tempore commorata fuerit paſtore cuſtodiente prope vineas in territorio priuerni a Kalendis Iunii vſque ad Kalendas Nouembris per quadraginta cannas communis,ſoluat pro ea dominus eius carl.medium,& paſtor carl.quatuor. Pro quolibet trunco animalium minutorum ducatum vnum,& noctem declaramus ab occaſu ſolis vſque ad ortum ſubſequentis diei.

De cane in vineis.

SI cuius canis damnũ dederit in aliqua vinea a Kaleñ. Auguſti & per totum menſem Octobris, vel donec fuerit vindemiata,ſoluat pro eo dominus eius carl.duos,& liceat domino vineæ illum in ipſa vinea inuentum occidere,ſi potuerit.

De beſtiis tranſuerſantibus cauatas cultas.

SI cuius beſtia groſſa tranſuerſauerit aliquam cauatam cultam,ideſt denuo factam, ſeu cauatitiam,pro ea ſoluat eius dominus bol.quatuor cum dimidio.Pro quolibet trunco,ſeu grege animalium minutorum duc.tres,& infra truncum pro quolibet animali minuto bol.duos. Pœnæ autem duplicentur de ſtudio,& cauatam cultam dicimus quantum ad pœnas vt ſupra quæ infra ſex menſes fuerit cauata,ſeu purgata.

De beſtiis armentitiis euntibus per intra campum.

SI alicuius beſtia groſſa armenticia inuenta fuerit ſtare,paſcere,& manere in locis per intra cãpum territorii priuerni,pro ea ſoluat eius dominus carl.medium & pro quolibet trunco, aut grege beſtiarum minutarum carl.v.& infra truncum pro qualibet minuta beſtia bol. vnum cum dimidio.

De beſtiis domitis & armentitiis ſolis ſine paſtore.

SI alicuius beſtia domita ſola ſine paſtore inuenta fuerit ad centum cannas extra priuernum,in

eius territorio,per loca laboratiua pro ea ſoluat eius dominus carl.vnum,præter alias pœnas de damnis.Si uero armenrum,aut truncus,ſeu grex ſolum,aut ſolus vt ſupra inuentus fuerit ſine paſtore,ſoluat pro eo eius dominus carl.v.præter alias pœnas,aut in damnis,aut intra campum ſine damno.

Quod pro beſtijs accuſatis de damno dato nulla ſit pœna, vbi damnum non apparuerit.

STatuimus & ordinamus,quod vbi ſimpliciter accuſatur aliquis pro ſua beſtia,vel beſtiis de dāno dato,nullam pœnam ſoluat pro ea ſi accuſatus intra octo dies a die citationis oſtenderit per iudicium viſorum cōmunis,citato damnum paſſo & accuſatore faciendum, damnum ipſum non fuiſſe datum,ſeu non apparere in loco accuſationis,& per idem genus beſtiarum accuſatarū. Quo tempore lapſo,præſumatur damnum fuiſſe datum,& accuſatus ad pœnam teneatur. Declarantes,hoc non habere locum in vineis,in quibus per ſolum ingreſſum beſtiarum ſine aliquo dāno pœnæ ſoluantur.

Quod beſtiæ non morentur in planitie campi priuerni laboratorii certis diebus,& temporibus, & de beſtijs caballinis intra campum.

STatuimus & ordinamus,quod ſi cuius beſtia,tam domita,quam armentitia groſſa inuenta fuerit morari,ſeu tranſuerſare per planitiem campi Priuerni laboratorii,ſeu ſeminatorii, præterquā per vias publicas,eundo ſcilicet,& redeundo diebus Dominicis & feſtiuis de præcepto ſpirituali,ſeu ſtatutario,ſcilicet a kalendis Martii vſque ad Kalēdas Maii,pro ea ſoluat dominus carl. medium,& pro quolibet trunco,aut grege beſtiarum minutarum carl.x.

Item ipſis diebus vt ſupra Dominicis & feſtiuis ſi cuius beſtia groſſa inuenta fuerit morari per loca,quæ intra campum dicuntur,aut per ea tranſuerſari vt ſupra a Kalendis Martii vſq; ad Kal. Auguſti,ſoluat pro ea eius dominus,ſic & pro trunco,aut grege,pœnas vt ſupra.

Liceat autem cuicunq; ciui beſtias caballinas,tam intra,quam extra campum a Kalendis Iunii uſque ad calendas Octobris retinere impune,& ſi citius contingat fieri triturationes, a tempore triturationis incipiant commorari,quantum ad pœnas de intra campum, exceptis his diebus feſtiuis,& Dominicis. Item ſi cuius beſtia groſſa,aut truncus,aut grex animalium minutorum inuentus fuerit ut ſupra commorari de nocte a calendis Martii vſque ad feſtum ſancti Iacobi apoſtoli de menſe Iunii in campo de Ioſo,eorum dominus ſoluat pro eis reſpectiue pœnas ut ſupra.

Quod beſtiæ poſſint paſcere per foreſtas & extra campum.

STatuimus & ordinamus,quod omnes & ſingulæ beſtiæ cuiuſcunque generis,tam domitæ,quā armentitiæ,poſsint paſcere per foreſtas & alia loca extra campum territorii Priuerni ſine aliqua pœna,ſaluo ſtatuto quod beſtiæ caprinæ non poſsint vagari per foreſtas caſtanearum ſupra poſito.

De non retinēd. beſtijs bubalinis,neque porcinis in territorio priuerni,& quomodo porcinæ beſtiæ ſint retinendæ intra priuernum,ac fidandæ in ſpicatico.

STatuimus & ordinamus,quod beſtiæ bubalinæ & porcinæ non poſsint aliquo modo detineri in territorio Priuerni quibuſcunque anni temporibus,præterquam beſtiæ bubalinæ domitæ, ſub pœna amiſsionis beſtiarum omnium prædictarum,excepto territorio communali inter terram Priuerni & Setiæ,in quo ciues priuernates poſsint retinere illas beſtias, quas retinere poſſunt ciues Setini,ac etiam excepto territorio communali inter communitatem priuerni & abbatiam foſſæ nouæ,in quo ſeruentur capitula inita inter dictam communitatem & abbatiam. Statuentes,quod ſi beſtiæ bubalinæ domitæ habuerint vitulos lactentes,poſsint detineri vnà cum matribus in dicto territorio uſque quo dicti vituli habuerint duos annos,& non ultra,ſub pœna prædicta. Declarantes,quod a die ſancti Iacobi menſis Iulii vſque ad calendas Octobris porci poſſint fidari in ſpicatico territorii priuerni,aliis vero temporibus non poſsint retineri ut ſupra; Intra terram priuerni vero nemo poſsit retinere porcos,niſi clauſos & reſeratos pro ſuo vſu, ita quod per terram priuerni non poſsint vagari,neq; liceat dominis illos etiam quantumcunq; ligatos ſecum extra terram priuerni ducere,ſub pœna, ſi vagentur per terram dictam carl. pro quolibet porco,& qualibet vice,ſi vero ducti fuerint extra terram, pęna ſit amiſsionis porcorū vt ſupra.

De porcis damnum dantibus in arearum paleis non recollectis.

SI alicuius truncus porcorum damnum dederit in areis non leuatis,ſeu recollectis, ſoluat pro eo illius dominus duc.tres & vnum porcum ad electionem accuſatoris,diuidēdum inter eum & officiales. Infra uero truncum pro quolibet porco carl.vnum,ſine aliquo porco.

Quod beſtiæ non detineantur in locis publicis intra priuernum.

SI quis retinuerit in locis & viis publicis intra priuernum,ſic & priuatis ſine licentia domini,beſtias bubalinas,uel vaccinas,ſiue domitas,ſiue non,ſic & caballinas armentitias,beſtiarum minutarum greges,aut truncos,ſoluat pro qualibet beſtia groſſa carl.unum.

Pro trunco,aut grege beſtiarum minutarum carl.x.& ſi locus ſacer erit,aut deo dicatus, tam intra,quam extra priuernum,in quo beſtiæ ut ſupra detinentur,Pœnæ prædictæ duplicentur.

De

De beſtijs paſcen. in ripa fluminis.

SI beſtia alicuius groſſa armentitia, non autem aratoria, inuenta fuerit ſtare, paſcere, ſeu commorari in ripa fluminis Amaſeni a pontis abbariæ foſſæ nouæ uſque ad flumen Eufridum, ſoluat pro ea dominus eius carl. vnū. Beſtiæ autem aratoriæ in ripa prædicta impune paſcere & commorari poſsint, dummodo bibant in locis ſolitis, pro quolibet trunco beſtiarum minutarum in ripa prædicta vt præfertur inuentarum ducatos duos, & pro tranſitu per ipſam ripam pœnæ prædictæ dimidientur; poſsint autem beſtiæ cõmorari & tranſire in locis & per loca ordinaria potariorum ſine pœna huiuſmodi. Similiter & tranſire, aut commorari per viam & in via infra ripam ipſam impune.

Quod beſtiæ domitæ poſſint paſcere vbique ſine pœna, & de Campanis earum obturatis.

STatuimus & ordinamus, quod omnes & ſingulæ beſtiæ domitæ, præter camarrones inutiles poſſint paſcere, ſtare, & commorari per totum territorium priuerni ſine damno dato, ſaluis quidẽ ſtatutis ſuperius poſitis de reſeruatione pratorum & herbarum de temporibus & locis ad tempora prohibitis; generaliter in ſuis materiis loquentibus; Camarrones autem inutiles pro beſtiis armentitiis reputentur, & illarum pœnis ſubiaceant, nec priuilegiis aratoriarum beſtiarum gaudeant. Sed & omnes beſtiæ aratoriæ domitæ campanas habeant omni tempore, ſub pœna medii carl. pro qualibet; & inuenta a cuſtodibus beſtia domita cum campana obturata, aut aliter non ſonante, præterquam in actu arationis, ſoluat eius dominus pro ea carl. duos, præter alias pœnas, ſi quas incurrerit in inuentione.

De beſtijs diffidatis.

STatuimus & ordinamus, quod ſi alicuius externi beſtia groſſa inuenta fuerit diffidata ſtare, ſeu paſcere, aut potare in territorio priuerni, præter legitimam excuſationem tranſitus per vias publicas, dum longo itinere tranſiret, ſoluat pro ea eius dominus, ſeu paſtor accuſatus carl. duos.

Pro quolibet trunco, aut grege beſtiarum minutarum carl. xxx. & vnam beſtiam porcinam tantum, diuidendum inter accuſatores & DD. officiales ut ſupra iam diximus. Infra vero truncũ pro qualibet minuta beſtia carl. medium; Lactentes vero beſtiæ matres ſequentes in hoc caſu nõ includantur in pœna. Infra vero annum beſtia groſſa non lactens ad dimidiã pœnã habeatur.

Liceat autem aratori externo laboranti & aranti in territorio priuerni retinere ipſo die arationis ab ortu ſolis uſque ad occaſum impune quatuor beſtias aratorias domitas, quas in occaſu ſolis debeat omnino extraxiſſe ab ipſo territorio, & quando extrahit, ire per uiam directã & non per circuitum, alias pro diffidato puniatur, & ſi ipſo arationis die damnum dederit, ſoluat pœnas ut ciuis.

Item quod paſtor ut ſupra inuentarum beſtiarum ſoluat cum eis inuentus carl. quatuor, & ſi renuerit dare pignus, duplici pœna puniatur, tam pro beſtiis, quam pro ſe ipſis, & nihilominus credatur accuſatori iuxta formam ſtatutorum legitime accuſanti, ſcilicet cuſtodi ſine teſtibus, & priuato cum vno teſte fidedigno, ſi beſtias ducere non poterit, aut aliter noluerit in vires curiæ.

Item ſi paſtor fecerit reſiſtentiam, ne beſtiæ diffidatæ duci poſsint ad terram priuerni, ab inuẽtoribus in caſu præmiſſo, duos ducatos ſoluat, & nihilominus eis credatur ut ſupra etiam quo ad reſiſtentiam, quamuis illas non duxerint; & ſi eas duxerint inuito reſiſtente pœna duorum duc. ut ſupra idem pro reſiſtentia perſoluat. Item quod pœnæ præfatæ ſoluantur de facto.

Item cum ducuntur in caſu præmiſſo diffidatæ beſtiæ, conſignentur Camerario cõmunis, qui illas recipere debeat, ſub pœna duorum ducatorum, & eas aut retineat per horas xxiiij. in clauſtro barbecanis, uel alio loco commodo ſuo riſico, aut ſi ſibi uidebitur, eas dimittat ad pabulum ſub cuſtodia diligenti, quæ eas qualibet nocte reducat in clauſtrum prædictum, uel alium locum, includendo eas, cui cuſtodiæ ſoluat debitam & conuenientem mercedem expenſis beſtiarum ipſarum quouſque earum dominus pœnas ſoluerit, & expenſas. Sed ſi dominus beſtiarum prædictarum in caſu neglexerit earum redemptionem, poſt miſſas tantum primas literas requiſitorias ſuper pœnis & expenſis ſoluendis, tranſactis tribus aliis diebus ſubhaſtentur ex eiſdem aliquæ tribus diuerſis diebus continuis ſubhaſtatione ad ſufficientiam pœnarum ipſarum & expenſarum quarumcunq; in præmiſsis legitime factarum; Reliquæ, quæ ſuperſunt, remittantur ad dominum cum ſuperata pecunia de ſubhaſtatis, ſi ſuperare contigerit.

De beſtijs caballinis exterorum ad triturandum.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis exterus duxerit ſuas beſtias caballinas ad triturandum in territorium priuerni ſine licentia D. Reſidentis, puniatur pœna duorum duc pro qua impetranda ſemper exprimat certum diem, & certam aream, & ſoluat Cancellario cõmunis, qui eam per modum bullettini deſcripſerit, quatrenos duos, & Camerario communis pro qualibet beſtia quatrenos tres; beſtiæ autem, quæ extra triturationem circum aream morabuntur, tam impetrata ut ſupra licentia, quam non, pro diffidatis reputentur exceptis pullis vnius anni, & infra. Quæ licentia pro trituratione frumentorum exterorum tantum concedatur, niſi neceſsitas aliquando aliter expoſtulauerit.

Item quod non intelligatur licentia legitima, ſi quis ante auroram beſtias introduxerit ad triturandũ

turandum in territorium Priuerni,

Item quipoſt horam non exierit cum dictis beſtiis, vbi de area poſt triturationem eas dimouerit, ſoluat pęnas tamquam pro diffidatis; ſaluis tamen in præmiſsis capitulis & conuentionibus cum aliquibus vicinis compoſitis.

De exteris lignantibus, piſcantibus & aucupañ.

SI quis externus lignatus fuerit, aut piſcatus, ſeu aucupatus, vel venatus in territorio Priuerni ſine legitima licentia, ſoluat carl. xx. & damnum in lignis emendet, aueſq; feras, & piſces in publico captas perdat. In priuatis vero piſcheriis damnum earum dominis ſatisfaciat.

Quod Priuernates non retineant ad ſtallum beſtias externas & ſi ſoccitam tenuerit quid facere debeat.

STatuimus & ordinamus, quod nullus Priuernas in terra priuerni, aut qui ciuium priuilegio gaudet, debeat retinere in territorio ipſius terræ beſtias exterorum ad ſtallum, cuiuſcunque generis ſint, ſub pœna xx. ducatorum, & beſtias reſtituat.

Item quod vbi monitus legitime de dictas beſtias educendo intra triduum, eas non eduxerit de territorio Priuerni, ipſarum dimidium perdat, & nihilominus cogatur grauioribus iniunctis pœnis ad reliquum educendum,

Item ciuis aut incola Priuerni, qui beſtiarum exterorum aliquod genus in ſoccitam retinuerit in territorio Priuerni, debeat pro parte ſocii fidam cõmuni ſoluere, ſub pœna v. duc.

Quod priuernates non tradant ſuas beſtias in ſoccitam fo enſibus retinendas in territorio priuerni.

ITem quod nullus ciuis, aut incola Priuerni poſsit ſuas beſtias cuiuſcunq; generis ad ſoccitã tradere alicui externo, vbi eas in territorio priuerni retinere cõtingat, ſub pœna duc. xxv. & amiſſionis dictarum beſtiarum in totum, & liceat cuicunq; ciui eas ſic in territorio priuerni retentas, ac eorum dominos accuſare, & illas intra priuernum in poſſe curiæ adducere & conſignare.

Quod pluries accuſatus eodem die de intra campum, pro vna accuſatione condemnetur.

STatuimus & ordinamus, quod ſi quis accuſatus fuerit pro ſuis beſtiis de intra cãpum in diuerſis poſſeſsionibus eodem die etiam plus ſemel, & diuerſis accuſationibus quantum ad intra cãpum, ſemel condemnetur, & cæterę eodem die factæ accuſationes euaneſcãt pro eiſdem beſtiis.

De famulo alicuius damnum dante manuale.

SI famulus alicuius damnum dederit manuale, ſoluat pro eo dominus de ſuo ſalario pœnas; ſed ſi dixerit nihil pro ſalario famulo debere, & ita iurauerit coram iudice, nõ teneatur pro eo ſoluere, & famulus accuſatus in damnis manualibus ſi in prima citatione non comparuerit & fideiuſſorem de ſtando iuri & iudicatum ſoluendo non præſtiterit, capiatur perſonaliter tamquã ſuſpectus, & ſi pœnam ſoluere non poterit, luat in corpore arbitrio domini iudicis,

De pœna impetrantium bandimenta a ſuperioribus in damnis datis contra formam ſtatuti.

SIquis per edictum, ſeu bandimentum ſuperiorum ad id poteſtatem habentium maiorem pœnã quam ſtatutariam in aliquo ſpeciali ſuo loco damnum dantibus ſolui impetrauerit, puniatur pœna x. duc. & caſu quo ſuperiores ipſi poteſtatem habentes huic ſtatuto derogare voluerint, tũc impetrans dicta bandimẽta & quilibet de ſua familia teneatur eaſdem pœnas bandimentarias ab eo impetratas ſoluere, ſi ipſi, vel ipſorum beſtiæ in alienis poſſeſsionibus damnum dederint.

De gallinis damnum dantibus in alienis hortis.

SI cuius gallina, aut anſer, & ſimiles aues damnum dederint in alienis hortis, aut plantis, ad nullas pœnas pro eis teneatur earum dominus; ſed liceat damnum paſſo aliquam pro damno occidere ex eis, & in ſuum commodum conuertere ſine aliqua pœna, dummodo in ſuo loco ubi damnum datum fuit illam occidat, aut aliter capiat.

De pœna minorum in damnis datis:

SI quis minor ſeptem annis damnum manualiter dederit in alienis locis, nullam propterea pœnam ſoluat; Liceat tamen prædiorum dominis, aut aliis de familia, ſeu cuſtodibus, communis ipſos inuenientibus damnum dantes impune virgis corrigerę, dummodo modum non excedant.

Si quis autem maior ſeptem & minor x. annis incluſiue damnum vt ſupra dederit, dimidiatas pœnas ſoluat, maior vero decem annis, ſi manualiter damnum dederit, integras pœnas ſoluat, ſed ſi maiores x. annis miſerint minores ad damnum dandum, pro eiſdem minoribus pœnas integras ſoluat ipſe maior, qui miſit ut ſupra, ſine aliqua actione in eum quem iam ad damnum miſerat, ſiue ipſe maior participauerit damnum, ſiue non.

Pro beſtiis vero integram pœnam ſoluat, cuiuſcunque ætatis ſit accuſatus paſtor.

Quod liceat ciuibus retinere greges ad ſtercorañ. ſuas poſſeſſiones intra campum.

SIquis Priuernas cum licentia D. Reſidentis, quam denegare non poſsit, ouium gregem ſtabulum intra campum in ſuam poſſeſsionem induxerit, ibique pluribus diebus, ſeu noctibus ſub

m

eadem

eadem licentia retibus incluſum de mote illum retinuerit, ſeu retineri fecerit, nullis pœnis ſubiaceat, dummodo eundo & redeundo recta via ab extra campum in illam poſſeſsionem ſine mora per intra campum tranſierit; & ſi damnum dederit, ſoluat pœnam, & emendam; ſed licentia ipſa deſcribatur in actis curiæ per Cancellarium communis cum mercede duorum quatrenorum.

Quod beſtiæ cuiuſcunque generis poſſint ire & redire in pantanum prunetorum ad potum.

STatuimus & ordinamus, quod omnes beſtiæ cuiuſcunque ſint generis, poſsint cauſa potus eſſe in pantano prunetorum ſine aliqua pœna, dummodo damnum non dederint, aut illinc exire ad paſcendum extra campum, non obſtante ſtatuto de confinibus campi de cala.

De forma accuſationum in damnis datis.

STatuimus & ordinamus, quod quicunq; accuſare voluerit in damnis datis, conferat ſe coram Cancellario communis in præſentia domini Reſidentis, & ſi erit ſpecialis perſona, aut ſpecialis cuſtos, cum iuramento debeat accuſare; Cuſtos autem communis accuſet ſine iuraméto, quia in principio officii iurauit, & in accuſatione deſcribantur quota dies menſis, & anni inuentionis, & accuſationis, & pariter contrata, poſſeſsio, eiuſque ſaltem vnus confinis, & nomen accuſati, & per quod genus beſtiarum damnum ſit datum; Quas qualitates cancellarius debeat annotare in huiuſmodi accuſationibus, etiam quod ab accuſatoribus ſpecificatæ non fuerint. prout declarauimus ſuperius in ſtatuto de electione & officio Cancellarii communis, & ſi accuſa aliqua de ſtudio fieri contigerit, ſpecificari debeat in accuſis, accuſatorem inueniſſe beſtias damnum dantes cum cuſtodia paſtoris, vel domini appenſata, vel ſtudioſa, per eum viſa per aliquod ſpatium temporis; Quod ſtudium eſſe dicimus prout ſuperius declarauimus ſub rubrica de duplicatione pœnarum propter ſtudium. Et ſi qualitas ipſa ſtudioſa modo quo ſupra in accuſis ſcripta non fuerit, tunc de ſtudio condemnari non poſsit, ſed in cæteris accuſæ faciédæ in ſuo robore permaneant.

Quibus credatur in accuſando.

STatuimus & ordinamus, quod credatur cuſtodibus communis, aut priuatarum perſonarum ſine teſtibus, & in damnis datis quibuſcunque.

Item credatur propriis dominis rerum in damnis datis, & colonis, aut aliis in ipſis rebus aliquid intereſſe habentibus, credatur filiis in re patris maioribus quidem xiiij. cum præſentia, aut ſine patris, credatur vxori, credatur famulis, ac omnibus aliis domeſticis in eadem domo conuiuentibus, & demum omnibus & ſingulis de eadem familia ſine aliquo teſte, tamquam intereſſe in damno habentibus, dummodo viderint, cognouerint, & in loco proprio inuenerint damni, aut non procul ad xxx. cannas ſine teſtibus datis, dummodo non patiantur defectus, ſiue exceptiones, ex quibus de iure, aut ex forma ſtatutorum repellantur. Si vero non viderint, ſeu non cognouerint, aut non inuenerint ut ſupra, vel ſi aliquid ex prædictis deerit, apponantur teſtes legitimi plures uel unus, ſi ex forma ſtatuti unus teſtis ſufficiat in re illa, aliter accuſatio ſit etiam nulla, Sed ſi is, cui creditur ſine teſtibus, ſemel conuictus fuerit per alios contra eum in ipſo caſu examinatos, de falſa accuſatione, ſiue in totum, ſiue in eius partem, puniatur pœna ut ſupra in maleficiis de falſa & fraudulenta accuſatione, & accuſatus ab eo abſoluatur penitus, ac accuſator in expenſis condemnetur. Et qui vt ſupra fuerit conuictus non admittatur ad accuſandum ſine legitimis teſtibus per triennium in damnis datis. Reliquis autem perſonis priuernatibus, & priuerni pro ciuibus habitis, liceat accuſare de damnis datis, & de intra campum cum appoſitione teſtium, ſi in re aliena tamquam perſonis intereſſe habentibus pro parte communis. Foren ſes nullo modo admittantur in præmiſsis damnis, niſi de propriis damnis accuſauerint, quæ ipſi paſsi fuerint, ſaluis famulis in re domini ut ſupra admittendis tamquam legitimis cuſtodibus pro eorum dominis. Declarantes quod accuſati a dominis, ſeu eorum familia vt ſupra ſine teſtibus condemnari debeant uſque ad ſummam trium ducatorum, videlicet in caſibus in quibus pœna excederet dictam ſummam, & ſemper teneantur ad integram damni emendam, & hoc locum habeat ſolúmodo in damnis datis per beſtias; In damnis autem manualibus condemnétur accuſati ad integras pœnas in ſtatutis appoſitas. Et quod ordinauimus de credulitate in damnis datis ut ſupra. Idem etiam ſtatuimus ad inquirendas beſtias quaſcunq; prope damna inuentas, prout in ſtatuto de inquiſitione formanda infra declaratur.

Infra quantum tempus liceat accuſare in damnis datis.

STatuimus & ordinamus, quod Priuernatibus perſonis & earum famulis, ſeu cuſtodibus liceat accuſare in damnis datis ſolummodo intra octo dies a die inuentionis, vltra uero accuſatio ſit nulla, Cuſtodibus autem communis intra triduum, prout diximus in ſtatuto de eorum officio loquente.

De inquiſitione formanda in damnis datis.

STatuimus & ordinamus, quod vbicunq; apparuerit aliquod damnum datum per beſtias in aliquo loco & accuſari non poſsint, cum non fuerint inuentæ nec a dominis, nec a cuſtodibus, neque domini per teſtes probari poſsint, tunc procedatur per inquiſitionem formandam ad inſtantiam

tiam

tiam damnum paſsi, intra octo dies a die damni per Cancellarium communis eam deſcribentem in actis, & locum habeat talis inquiſitio contra quoſcunq; in eadem contrata illis diebus beſtias ad ſtabulum detinentes, ſeu aliter per circuitum illas paſcentes, dummodo per idem genus beſtiarum legitime appareat damnum datum; In tranſeuntes vero beſtias per vias illius contratæ non detur actio inquirendi, niſi ſolæ & ſine cuſtodia tranſirent, & ſic dimiſſæ a paſtoribus earum cuſtodiam negligentibus. Verum pro inquiſitione huiuſmodi in damnis datis nulla pœna ſoluatur, ſed tantum damnum emendetur. Ille tamen qui conuictus fuerit in præmiſsis debeat ut ſupra damnum emendare datum in re illa, pro qua inquiſitio fuit formata, ſed ſi per tempora ſcierit qui dãnum ipſum dederit & legitime probauerit, in illum habeat actionem damni ſoluti is, qui inquiſitus ſoluerit, aut ſi non ſoluerit, adhuc non erit liber ab inquiſitione. Et ad executionem inquiſitionis in caſibus ſupra damnis datis procedatur eodem modo, quo per accuſationem proceditur ad pœnam, aliter ad abſolutionem.

Item quod vbi inquiſitor non inuenerit contra quorum beſtias procedat legitime per inquiſitionem, poſsit intra quatriduum a die damni formare inquiſitionem contra cuſtodes campi, qui aut damnum ſoluant, aut inueniant contra quos procedi legitime poſsit, & inquiſitio formari.

De modo procedendi in damnis datis.

STatuimus & ordinamus, quod Cancellarius communis intra biduum poſt deſcriptam per eum accuſationem debeat, ſub pœna duorum duc. dare mandatario cedulam citandorum ad ſe excuſandum cum inſcriptione diei datæ cedulæ in ipſa cedula.

Item Mandatarius poſt habitam cedulam huiuſmodi debeat ſub eadem pœna citandos ipſos citare perſonaliter, ſeu domi, intra aliud biduum, & relationem Cancellario faciat cum declaratione diei citationis factæ.

Item citati ad ſe excuſandum in damnis datis, aut de intra campum quomodocunque prout in actis apparebit, ſeu ad dicendum contra inquiſitionem ex præmiſsis, ſi intra triduum poſt citationem ei factam legitime non comparuerit ſe excuſando, aut copiam petendo, non admittatur vlterius ad aliud dicendum, ſed condemnetur tãquam conuictus, ſed ſi ſe excuſauerit, ſeruentur per ordinem quæ fuerint ſeruanda.

Item ſi citatus in termino copiam petierit, teneatur Cancellarius mediante mercede illam ei facere ipſo die, quo eam petierit, ſub pœna vt ſupra, & tunc in eadem deſcribat diem datæ copiæ, poſt diem habeat accuſatus terminum quinque dierum ad excipiendum. In quo ſi produxerit exceptiones, infilzentur, facta mentione in margine accuſationis.

Item ſi accuſans voluerit replicare, ſic & accuſatus triplicare, biduus ſit terminus in quolibet caſu replicationis, & triplicationis, quo elapſo procedatur ad ſententiam, ſiue producat, ſiue non. Et qui non produxerit in dictis terminis reſpectiue, vlterius non admittatur. Sed in omnibus & ſingulis citetur & accuſans, & dominus Syndicus pro vna parte, ſic & accuſatus pro altera, & relationem faciat mandatarius in omnibus videlicet quo die citauerit.

Intra menſem Iudex ſententias proferat.

STatuimus & ordinamus, quod dominus Iudex Priuerni intra menſem a die accuſationum quarumlibet proferat ſententias in damnis datis, & in inquiſitionibus proptetea factis, ſic & extra ordinariis, ſub pœna xx. ducatorum de ſuo ſalario auferendorum.

Item quod in ipſis ſententiis componendis interſint domini Syndicus & Reſidens, aut alter eorum; ſimiliter & in ipſarum pronuntiationibus, ſub eadem pœna, tam in dominum iudicem, ſi non fecerit eos vocari, quam in dominos Syndicum & Reſidentem renuentes intereſſe.

De applicatione pœnarum in damnis datis.

STatuimus & ordinamus, quod omnes pœnæ in damnis datis. tam manualibus, quã per beſtias, pro vna medietate Communitati Priuerni, & pro alia medietate accuſatoribus quibuſcunque applicentur & applicari debeant.

De confinibus tenimenti nuncupati intra campum campi de caſa.

STatuimus & ordinamus, quod tenimentum nuncupatum dentto campo campi de caſa, his confinibus includatur & confinetur, vulgari ſermone loquendo, ad meliorem ciuium intelligentiam, videlicet. Cominciando dalla cona dello Gallinolo caminãdo per il pecoro fin'al ponte della fontana del Leone, & da detto ponte dallo foſſato della valle cagnana fino alla Cona della barba raſa, & da detta Cona caminando per la ſtrada dritta fin che ſi troua la ſtrada che va al colle manardo, & caminando per eſſa ſtrada del colle Manardo paſſato detto colle fino alla ſtrada che ſuolta verſo la cona della Gratia, arriuando fino alla drittura della pedicata del Caſalicchio, & poi per eſſa pedicata fino al dritto della torre Coculuzza, & da piedi a detta torre per drittura alla ſtrada di pruneta, & caminando per eſſa ſtrada di pruneta fino alla cona da capo al pantano doue ſi piglia vna via a man dritta che va a Sezza per la montagna, & da detta cona per vn poco di tumerone che va al colle della grotta, & per eſſo tumerone fino alla ſtrada da capo al pozzo nuouo, &

no,& per detta ſtrada fino alla pedicata del colle ſuuaretto,& caminãdo per la pedicata fino alla ſtrada della torre del ridotto,& per detta ſtrada fin che s'arriua ad vna quercia del ſchito, doue ſuolta per vn'altra ſtrada che va al colle d'Oddo,& caminando ſempre per la ſtrada fin'ad vn termine che ſi deue mettere da capo ad vna poſſeſsione dell'Abbatia in contro a lo foſſato delle fõtanelle,& da detto termine per drittura fin'all'Argine del laco dalla banda di ſotto verſo Piperno,fra ilqual termine da capo alla poſſeſsione dell'Abbatia & il laco ſe debbia mettere vn termine,o dui in mezzo per piu chiarezza della drittura,& da detto Argine del lago intrando nella ſtrada che va per dritto alla fontana delli colli ſecchi,& poi per drittura fin'alla fontana maggiore, & poi per lo foſſatello di detta fontana a baſſo fino alla ſtrada che va verſo le farnete,& per detta ſtrada fin'alla drittura del capo della poſſeſsione chiamata la caſa di Mattarozzo,doue ſe debbia mettere vn'altro termine,& da detto termine fin'al detto capo di poſſeſsione di Mattarozzo, nelqual capo di poſſeſsione s'habbia a mettere vn'altro termine per drittura al Macerone, & da detto termine per drittura al capo croce che rieſce da capo alla poſſeſsione del Macerone, & da detto capo croce caminando per la ſtrada verſo il vado coſano fin che s'affronta alla ſtrada che viene da ſanto Stephano,& voltando per la ſtrada verſo Piperno fin'al vado del petto,& da detto vado per la ſtrada fino allo Schiapponte,& dallo ſchiapponte per la ſtrada fino al ponte della forma,& da detto ponte per la via del gallinolo fino alla cona di detto gallinolo primo termine di detti confini.

De confinibus tenimenti nuncupati intra campum campi de Ioſo.

STatuimus & ordinamus,quod tenimentum nuncupatum dentro campo campi de Ioſo includatur & confinetur his confinibus,vulgari ſermone loquendo,ad meliorem ciuium intelligentiam,videlicet.Cominciando dal ponte dell'Abbatia di foſſa nuoua, & dopoi caminando per il Tumerone del fiume Amaſeno inſino al vado rotto,& da detto vado rotto ſeguitando a baſſo per il fiume nuouo fin'alla bocca del Mazzocchio,& poi per il longo del Mazzocchio inſino al capo di eſſo Mazzocchio,& alla cauata noua,& poi da detta cauata noua in su per inſino al termine che ſta nel tumerone della codarda,& da detto termine caminando per la via delle margini dell'acqua della fico fin'al termine che ſi dice campo nouello,& da detto termine all'altro termine alla fontana delli Graſſori,& da detto termine caminando per la via della volpe fino allo foſſato delle vigne vecchie, doue riſponde vn'altro termine che ſi chiama la Ciſtrignola, & da detto termine caminando per la via che paſſa da piede al colle del Suuaro groſſo,& arriua fin'al piede della valle Gregori,& da detto loco fino alla cona dell'Abbatia,& de detta cona per la via fin'al detto ponte dell'Abbatia primo termine di detti confini.

STATVTORVM

Priuerni Liber Quintus Super Extraordinariis.

Quod vicinus cauet ad petitionem vicini,& de pœna ſibi vſurpantis in cauando.

STATVIMVS & ordinamus,quod quicunq; cauauerit foſſam,ſeu cauatam ſuæ poſſeſsionis per longum quantum iuxta eam iuerit, Poſsit viis curiæ compellere ſuum inferiorem vicinum ut cauet,etiam per longum ut ſupra iuxta ſuã poſſeſsionem vſque ad tertium vicinum incluſiue;Qui vicini compulſi per ordinem curiæ ſi intra triduum non cauauerint,ſoluant pro quolibet carl.duos,ſic & poſt quodlibet triduum quouſq; cauauerint,duplici pœna eorum quilibet puniatur, tam proprius dominus ſi ex ſe terras coluerit,quam colonus ſi accuſati fuerint.

Sæpe autem incidat & purget iuxta vias,ſic & uiam reparet colonus, ſi poſſeſsionem conduxerit ſuis expenſis,vel eius dominus,ſi ipſe colat;Declarantes quod cauatæ fiãt ita profundæ & amplæ,vt aquæ per eas poſsint commode fluere;Cauatæ uero de curiu ſint latitudinis & profunditatis pro ut iudicauerint Octo viri campi. Declarantes etiam,quod cauatæ intermediæ inter vicinos collaterales debeant cauari communiter inter dictos vicinos, & ſi vnus requiſitus intra biduum non cauauerit, pro eius rata, ſit in arbitrium alterius vicini cauare uolentis, uel illum cogere ad cauandum,uel integraliter cauare ſuis ſumptibus,quo caſu ſibi liceat totam terram in cauatione & emundatura effodiendam proiicere in ſuam poſſeſsionem abſque aliqua pœna; Alias ſiquis irrequiſito vicino cauauerit,& ex tellure foſſo,ſeu cauatæ vicinalis aliquid ſibi cauando,uel purgando uſurpauerit,tam de firmo,quam de emnudatura,quatuor carl.ſoluat, & omnia inpriſtinum reponat.

Quod colonus cauet expenſis poßeßionis quam colit.

STatulmus & ordinamus, quod vbi cauare neceſſe fuerit, aut purgari aliquem curſum aquarũ, tam in cauatis de curſu, quam vicinalibus, debeat dominus prædiorum quo ad cauatas de curſu eas integras ſuis expenſis cauari & purgari facere; quo vero ad alias cauatas omnes debeat cõcurrere in expenſis faciendis in eorum cauatione & purgatione pro ea rata fructuum quam accipit a colono. Reliquas vero expenſas debeat facere colonus, aut ſecundum formam præmiſſam aut ſecundum conuentiones inter D. & colonum faciendas, tamen colonus legitime requiſitus a vicinis ſuperioribus debeat interpellare dominum prædii an velit concurrere pro ſua rata in cauatione & purgatione prædictis & exponere pecuniam, vel operarios; Et dominus interpellatus ſi ſpatio vnius diei retardauerit, teneatur colonus ſuis expenſis cauare & purgare intra triduum ut ſupra & ſtatim perfecto opere prædicto, teneatur dominus prædiorum ſoluere colono expenſas omnes pro portione domini factas, & ad eas illico poſsit aſtringi.

De menſuris & ponderibus non ſigillatis & non æquis.

SI quis ponderibus & menſuris non ſigillatis ſigillo Supraſtantium vſus fuerit, puniatur pœna x. duc. & qui tantum retinuerit & non vſus fuerit, dimidia pœna puniatur, & credatur cuicunque accuſatori cum iuramento & vno teſte idoneo; credatur & Supraſtanti, credatur militi curiæ ſine aliquo teſte, ſi ipſa pondera, ſeu menſuras non ſigillatas in palatium a loco inuentionis recta uia coram D. Iudice, ſeu Reſidente portauerit; credatur etiam ementi, qui cum emerit recta uia, uel ad ſupraſtantes, uel ad iudicem, ſeu D. Reſidentem iuerit ad notificandum. Is uero qui curiæ, ſeu Supraſtanti uolenti uidere, & ſecum portare menſuras, ſeu pondera præfata in palatium fecerit reſiſtentia, aut impedimentum, uel præmiſſa ne inueniantur tranſmutauerit, duplici pœna puniatur, & habeatur pro conuicto etiam ſi bonæ tunc menſuræ fuerint & pondere. Et quotieſcunq; ſupradictæ menſuræ & pondera, ſigillatæ a Supraſtantibus inueniantur non æquæ, præſumantur falſificatæ ab utentibus & retinẽ qui eiſdem pœnis ſubiaceant reſpectiue.

De auferẽ piſces, aut aues de retibus alienis.

SI quis piſces, aut aues de alienis retibus exceperit, inuito domino, ſoluat carl. xx. liceat autem dominis piſcheriarum & plagariorum, inuentos piſces, aut aues reſpectiue in retibus impune auferre, quæ in ſuis locis immiſſa reperierint; ſi quis autem piſces ex hamis, aut aues e laqueis in publicis, aut aliorum propriis, ſeu conductis locis abſtulerit inuito hamorum, aut laqueorum domino, duos carl. ſoluat pro quolibet piſce, aut aue reſpectiue & credatur domino, uel aliis de ſua familia accuſañ cum iuramento ſi inuenerint, etiam ſine teſtibus.

De ponẽ retia in alienis plagariis.

SI quis in alieno loco rete poſuerit, aut alieno facto plagario ad aucupañ inuito domino, duos carl. ſoluat; Si uero adueniente domino & ab eo monitus, Rete inde non amouerit, xx. carl. ſoluat. De quibus liceat ſolum domino rei, ſeu plagarii accuſare, uel alius alteri de ſua familia, quibus credatur in accuſando cum iuramento ſine teſtibus, ſi inuenerint.

De incidẽ arborem, ſeu ſtipitem in plagario.

SI quis arborem ad vſum aucupii ſtantem in alieno plagario inuito domino, dummodo conſueta ſit ibi aucupatio, inciderit, aut eam diſramando inutilem ad aucupium fecerit, Quatuor ducat ſoluat. Ad quæ etiam procedi poſsit per modum inquiſitionis, in maleficiis per ſex menſes, non obſtañ ſtatuto in maleficiorum libro de incidente arborem in alieno loco. Si vero ſtipites ad vſum aucupii poſitos amouerit, ſeu inciderit, carl. x. ſoluat. Et credatur domino & aliis de ſua familia accuſantibus cum iuramento ſi inuenerint.

De piſcantibus in alienis piſcheriis & eas exparañ.

SI quis in aliena piſcheria inuito domino piſcatus fuerit quocunq; genere retium, aut naſſarum xx. carl. ſoluat. Et ſi monitus non piſcari ab adueniente domino inde non abierit, quinque duc. ſoluat, & damnum emendet ad iuramentum domini. Si quis hamo in aliena piſcheria clauſa piſcatus fuerit inuito domino v. carl. ſoluat, & monitus a ſuperueniente domino, inde non abierit, x. carl. ſoluat. Si quis clauſtrum alienæ piſcheriæ fregerit, ſeu exparauerit inuito domino, aut concurrentes eò aquas diuerterit, decem duc. ſoluat, & damnum emendet ad iuramentum illud patientis, & credatur domino accuſanti, ac aliis de ſua familia cum iuramento ſi inuenerint.

De dimouente retia & laqueos ac naſſas in ſuum vſum, aut aliter.

SI quis inuenta retia extenſa ad aucupium, ſimiliter ad piſcationem, ac naſſas dimouerit, in ſuũ commodum illis utendo, inuito eorum domino, tam in ſuo, quam alieno loco, quinque duc. ſoluat, & damnum emendet iudicio peritorum. Si quis autem præfata dimouenda in ſuum uſum nõ uerterit, ſed dimota ibidem dereliquerit proprio domino, pro dimotione ſolum quatuor carl. ſoluat.

uat. In ſuis autem locis nihil ſoluat dimouendo & derelinquendo ut ſupra proprius dominus, ſeu eorum conductor locorum. Si quis in apprehenſo plagario,præter dominum illius aliquem deturbauerit,quatuor carl.ſoluat,& damnum de turbato emendet iudicio peritorũ.Si quis laqueos in aucupium,aut venationem poſitos dimouerit,vt ſuos ibi apponat,quatuor carl.ſoluat, & damnum emendet vt ſupra,ſi is non fuerit dominus,aut conductor loci. Si quis autem eos dimouendo in ſuum commodum tranſtulerit,xx.duc.pœna puniatur.

De eſcatorio.

SI quis eſcatorium factum in re communis ad venationem,ſeu aucupium impedierit,aut per ſe, aut per alium occupauerit,quatuor carl.ſoluat; De quo poſsit quotidie accuſari,donec ab impedimento,aut occupatione deſtiterit;Sed ſi per octo dies derelictum eſcatorium eſſe conſtiterit,ſtatim ſit illud occupãtis;ſi quis vero in aliena re priuata inuito domino fecerit eſcatorium, ſic & æquale potatorium,carl.vnum ſoluat.

De arantibus vias publicas, ſeu vicinales.

SI quis arator in via publica,ſeu vicinali ſulcum aratro fecerit quocunque modo,quatuor carl. ſoluat.

De forenſibus non receptañ. in terra Priuerni.

STatuimus & ordinamus,quod nullus forenſis recipiatur ad habitandum in terra Priuerni, niſi habuerit literas teſtimoniales a communitatibus ciuitatum,ſeu terrarum vnde ſunt oriundi, ſeu a Baronibus eorum dominis,quod ſint homines probi,bonæ vitæ,conditionis,& famæ,& domini officiales ipſos aliter recipientes incurrant in pœnam x.duc.pro quolibet. Et nihilominus dicti forenſes per D.Poteſtatem & eius curiam expellantur ad querelas,ſeu inſtantiam cuiuſcunque ciuis,ſub eadem pœna,ex eius ſalario auferen̄. Forenſes vero portantes literas ſupradictas non poſsint a DD.officialibus reiici,nec eiſdem habitatio denegari.

De domibus non locandis,neque venden̄. forenſibus.

STatuimus & ordinamus,quod nullus ciuis,aut incola Priuerni poſsit donare,vendere,vel locare domos,ſeu habitationem concedere etiam gratis quibuſcunque forenſibus volen̄ venire ad habitañ in terra Priuerni,niſi prius data noticia DD.Officialibus de dictis forenſibus,& niſi habita licentia ab ipſis DD.officialibus,ſub pœna duc.x.qui DD.Officiales dictam licentiam denegare non poſsint,ſi per eos fuerint admiſsi ſeruata forma prædicti ſtatuti ; ſaluo ſemper ſtatuto de iure congrui.

De cautionibus non recipien̄ a Doctoribus, neque Notariis.

STatuimus & ordinamus,quod D.Poteſtas,aut maleficiorum Notarius,ſeu Cancellarius communis,ſeu alius quicunq; Notarius non poſsint,nec debeant accipere,neq; ſcribere in fideiuſſores quaſcunq; legum doctores,neque Notarios ciues Priuernates,tam in iudicio,quam extra, tam in cauſis criminalibus,quam ciuilibus,& in quibuſcunq; aliis cauſis, negociis, & contractibus,ſub pœna x.duc.per quemlibet ipſorum recipientium, aut ſcribentium , incurrenda in caſu contrauentionis,& nihilominus ſi fideiuſsio præfatorum DD.Doctorum & Notariorum recepta,ſeu ſcripta fuerit etiã iuramento vallata,ſit ipſo iure nulla,& cenſeatur dolo & metu extorta.

De inuentis de nocte ſine lumine,aut igne.

STatuimus & ordinamus,quod ſiquis de nocte inuẽtus fuerit ſine lumine,aut igne poſt vltimũ ſonum campanæ de ſcarana vagari,aut ambulare per terram Priuerni,ſeu aliter ſtare intra ipſam terram in locis publicis,& ſimilibus,ſoluat carl.quatuor.

Item quod quilibet inuentus vt ſupra debeat ſuum nomen dicere curiæ interroganti , ſeu cuſtodi,ſub pœna x.carl.præter pœnas prædictas.

Item ſiquis inuentus fuerit vt ſupra & deuenerit ad aliquos actus reſiſtẽtiæ,ſeu violentiæ poſtquam ei dictum fuerit per curiam ſiſte,ideſt ſta forte,& ſimilia,ſoluat carl.x.præter alias pœnas.

Item quod cuſtodes neminem ducant ſecum ex ſe per terram ipſam Priuerni,qui non ſit officialis curiæ,ſub pœna v.carl.in quemlibet cuſtodem.

Item quod cuſtodes ipſi,qui de nocte aliquem ſuſpectum inuenerint intra terram Priuerni, & cum igne,eum ducant in vires curiæ,ſi poſſunt,ſin autem,nomen referant D. Poteſtati & Iudici in mane ſequenti,ſub pœna xx.carl.in eorum quemlibet,contra quos procedi poſsit toto tempore ſui officii etiam per inquiſitionem. Liceat autem redeuntibus ex agro impune ſine igne per intra Priuernum ire ad eorum domos,ſi nullibi per viam morabuntur,& recta via domum iuerit, poſtquam ingreſsi fuerint portam Priuerni;& in dubio ſtetur depoſitioni portinarii cum iuramẽto qui tempus ingreſſus declaret.

Item liceat vnicuiq; ante ſuam domum in eadem vicinia commorari ſine igne poſt ſonum vt ſupra vſque ad tertium vicinum incluſiue & ad ſuum libitum illac ambulare,ſic & apotecariis, & tabernariis ante eorum apotecas & tabernas liceat vt ſupra ſine igne commorari & deambulare ſine aliqua pœna.

Item quod deportatio ignis per vnam perſonam in comitatu aliorum excuſet vſque ad treis

Perſonas,præterquam in nuptiis,ſeu ſponſalibus, in quibus vna torcia accenſa excuſet vſq; ad numerum decem perſonarum.

Item quod non procedatur ad pœnas de non portato igne,niſi per accenſationem & reſolutionem cuſtodum communis,quibus credatur ſine aliquo teſte;aut per relationem militis curiæ, cui credatur,ſi inuentum in palatium duxerit,aut ſi non duxerit cum iuramento , & cum idoneo teſte. Credatur D.Poteſtati ſine exceptione cum delinquentem in præmiſsis inuenerit,& accuſatio ſiue relatio de non portato igne vt ſupra non teneat, niſi de inuentione & intra quatriduum a tempore inuentionis,

Quod nullus vadat cantando neque ſonando de nocte.

STatuimus & ordinamus,quod nullus poſsit cantare neque aliquod inſtrumentum ſonare per terram Priuerni,neque cantantes,aut ſonantes aſſociare poſt vltimum ſonum ſcaranæ, ſub pœna carl.quatuor,liceat autem cuicunq; ante ſuam domum canere & ſonare impune uſque ad tertiũ vicinũ incluſiue, dummodo nõ cantet cantilenas inhoneſtas;& ſaluo ſemper ſtatuto infra poſito de canentibus prope monaſterium S.Claræ. Qui vero cantilenas inhoneſtas cantauerit vbicunque etiam in locis conceſsis,quinque duc.pœna puniatur .

De canẽt. *ludentibus & commorantibus circum circa monaſterium* S.*Claræ.*

STatuimus & ordinamus,quod nullus cuiuſcunq; ſtatus,gradus,ordinis & conditionis , ſexus. & ætatis exiſtant,audeat,vel præſumat cantare,vel inſtrumẽta aliqua ſonare,ſeu ludere ad quẽcunque ludum,aut commorari vllo modo,minuſque acclamare,ſeu vociferari in platea nuncupata le Sedie,& quibuſcunque ſtratis,viis,aut locis circum circa Monaſterium S.Claræ exiſtẽtibus de die quam de nocte,& tam ſolus,quam aſſociatur,ſub pœna x.duc.pro quolibet de die,de nocte vero duplicetur. Et ſimiliter pœna duplicetur in cantantes cantilenas inhoneſtas, aut inhoneſta acclamantes,ſeu vociferantes;Quæ pœna applicetur pro medietate dicto Monaſterio, & pro quarta parte accuſatori,& reliqua quarta parte executori .

De cogendis venditoribus tempore neceſſitatis.

STatuimus & ordinamus,quod tempore neceſsitatis & penuriæ ad requiſitionem DD. Officialium debeat D.Poteſtas ſub pœna x.duc.de ſuo ſalario auferẽ.cogere omnes & ſingulos habitatores Priuerni & eius diſtrictus,qui frumentum & vinum vltra victum illius anni pro eorum familia habuerint,ad vendẽ.de eiſdem medio impoſito pretio conuenienti per eoſdem tunc officiales & ipſum D.Poteſtatem,ſub pœnis neceſſariis & opportunis .

Item tempore carnium penuriæ debeat vt ſupra D.Poteſtas cogere cum iniunctione pœnarũ omnes & ſingulas perſonas habentes beſtias in territorio Priuerni,ac eius continuos habitatores ad macellañ beſtias cuiuſcunq; generis aptas ad macellum,necnon a medio menſe Iulii vſq; per totum menſem Septembris ad macellañ vnam vitulam pro quolibet armento,& non vltra,& armentum intelligatur a beſtiis x groſsis vſque ad xxx. & ſic quando excedunt dictum numerum pro quibuslibet beſtiis xxx. vitulam vnam.

De Macellariis & eorum miniſterio.

STatuimus & ordinamus,quod omnes macellarii debeant retinere in locis,vbi carnes vẽdunt, bilancias æneas,quibus ponderare debeant ipſas carnes vſque ad xv.libras cum dimidia quibuſcunq; emere volentibus,ſub pœna quatuor carl.

Item ſi dixerint volenti emere carnes,nolumus tibi vãdere;aut aliter ſunt venditæ,ſeu quomodolibet ei negauerint uenditionem,dummodo carnes appareant in macello , ſeu ante macellum affixæ,quatuor carl.ſoluant,nec excuſentur dicendo,quia iſta pars eſt vendita,quam tu quæris, ni ſi illam intromiſerint in apotecam,& ſit vere vendita; Quod etiam ſtatuimus contra quoſcunq; publicos venditores rerum,ſub eadem pœna.

Item quod macellarii poſsint vendere ſtatera quaſcunq; carnes in vno petio a xv.libris ſupra, ſine aliqua pœna,dummodo ſtatera ſit admiſſa per Supraſtantes,& qui cõtrafecerint ſoluãt carl. quatuor in quolibet pondere.

Item quod macellarii debeant retinere in banco macelli prope bilances infraſcripta pondera ferrea,videlicet libram,& ſemilibram,duas libras,tres libras,quatuor libras , & quinque libras, in quolibet ſingulo petio ſignato ſuis ſignis conuenientibus,& admiſſo per Supraſtantes,ſub pœna quatuor carl.pro quolibet petio deficiente & non ſignato;vncias autem non retineat,niſi datas a Supraſtantibus in caſu,ſub eadem pœna.

Item quod Macellarii retineant bilances æque appenſas & ſine aliqua fraude;ſub pęna ut ſup.

Item quod macellarii vendentes carnes vnius generis pro alio,vel fœminini ſexus pro maſculino in genere animalium minutorum,aut non caſtrati animalis pro caſtrato in eodem minutorũ genere animalium,puniantur pœna duorum duc.pro quolibet pondere .

Item quod macellarii debeant occidere quãcunq; beſtiam coram ſaltem duobus teſtibus idoneis,ſub pœna x.carl.in qualibet beſtia aliter occiſa ,

Item vbi occiſa & parata fuerit beſtia minuta, debeant macellarii eam retinere ſemper foris in propatulo ante, ſeu iuxta macellum vſque a noctem, ſi antea non fuerit expedita, ſic & quemlibet quartum beſtiæ groſſæ, ſub pœna quatuor carl.

Item quod non retineant in eodem banco carnes porcinas maſculorum cum ſcrofinis, caſtratiuas cum pecudinis, ſeu agninis, caprinas fœminarum cum hircinis, ſub pœna x.carl.

Item quod non vendant carnes ſine impoſito per ſupraſtantes pretio, ſub pœna quatuor carl. pro quolibet pondere.

Item quod teneantur vendere carnes in pluribus petiis prout emptoribus uidebitur ad bilances, ſub pœna duorum carl.

Item quod vbi plures adſunt uolentes carnes emere, non debeãt alios remittere uacuos, alios uero accommodatos ponderando illis carnes ultra quinque libras in commodum aliorum, ſub pœna x.carl. pro quolibet pondere circa præmiſſa, a qua pœna non excuſentur, præterquã in penuria carnium, dummodo plus quinque libris carnes non diſtribuant pro qualibet familia.

Item quod debeant qualibet die ſabbati, aut ueneris aſcia curare bancum macelli bene & diligenter, ſub pœna quatuor carl.

Item quod poſsint uendere porcellos, ſic & agnos, ſeu hædos integros, aut ad quartum, ſi non excederint quindecim lib. ſine aliquo pretio impoſito per ſupraſtantes cuicunque emere uolenti unum, uel plures ad libitum, dummodo non ſit in banco macelli penuria carnium, in quo caſu penuriæ non poſsint uendere ſine ordine ſupraſtantium, ſub pœna x.carl. pro quolibet animali.

Item quod beſtias uiuas poſsint ad libitum uendere ſine aliqua pœna, cuicunque illas emere uolenti, dummodo non ſit penuria carnium, præſertim porcinarum, in quo caſu non poſsint, ſub eadem pœna.

Item quod macellarii ab occiſis in macello beſtiis amoueant integra capita a nucula colli, ſic & pedes, aut gambas uſque ad genua, necnon interiora quouſquã uenalia, deq; eis non uendant ultra duas tertias partes pretii ordinarii impoſiti, niſi alias ſine pondere cum emptore ad oculũ (vt dicunt) concordauerint, ſub pœna quatuor carl.

Quod vendentes carnes in macello non reſiſtant pretio impoſito per Supraſtantes.

STatuimus & ordinamus, quod nullus uendentium carnes in macello reſiſtat pretio impoſito per Supraſtantes dicendo, nolo aliter uendere, & ſimilia, ſub pœna quatuor carl. & nulli liceat carnes uenales in macellum portatas, & ibi habitas ut uendant, exportare domum, niſi de eis tantum, quantum intra triduum in ſua domo conſumi poſsit, ſub pœna carl. x.

Quod plures carnium domini non vendant in eodem banco.

STatuimus & ordinamus, quod plures carnium domini, ſeu carnes plurium dominorum & eiuſdem generis, non uendantur, ſeu non uendant eodem tempore in eodem banco macelli, ſub pœna quatuor carl. in quemlibet; ſed qui prior locum occupauerit, perſeueret; alius uero expectet, aut aliud bancum inquirat, eiuſque accuſatio ſit ipſo die tantum utilis.

De *beſtijs mortacinis*.

STatuimus & ordinamus, quod beſtiæ cuiuſcunque generis, quæ mortacinæ appellantur, earũque carnes non poſsint introduci in terram Priuerni, ſed debeant uendi extra portam, ſub pœna x.carl. pro qualibet beſtia.

Item quod beſtiæ mortacinæ non poſsint uendi ad pondus, ſed uendantur ad petia ſine pondere, nullo pretio impoſito per Supraſtantes.

Item beſtia mortacina intelligatur ea, quæ ex ſe ipſa mortua fuerit, aut ſi non ex ſe mortua fuerit, nihilominus infirma per ſuum dominum occiſa fuerit; Præcipitata autem beſtia, aut diſpallata, aut quæ crus fregerit, ideſt gamba rotta, & ſimiles, & lupaticia, quæ uiua ipſo die in macellum deportatur, dummodo per idoneos teſtes conſtiterit de non infirmitate aliqua ante caſus huiuſmodi dictarum beſtiarum, poſsint uendi in macello intra Priuernum ad pondus, impoſito pretio per Supraſtantes, minore tertia parte ordinarii pretii beſtiarum integrarum.

De immunditijs macellariorum.

SI quis macellarius beſtiam occiderit, debeat eius ſtercus, ſeu interiora, & omnia alia huiuſmodi immunda, excepto ſanguine & cornibus, antequam beſtiã diſquartauerit, amouere a loco & portare, ſeu portari facere extra portam per paſſus quadraginta, & extra uiam, ſub pœna duorum carl. pro qualibet beſtia.

De ſalſamentarijs, ſeu pizzicarolis.

STatuimus & ordinamus, quod ſalſamentarii retineãt bilancias ad quas uendere debeant omnia ſalſamenta & ſimilia, earumque unam pendentem perforatam ut liquor defluere poſsit, ſub pœna quatuor carl.

Item quod retineant libram, duas libras, & quinque libras ſignatas & ferreas, ac per ſupraſtantes admiſſas, ſub eadem pœna; ſic & ſtatera utantur per Supraſtantes approbata, ad quam nõ vendant,

dant,niſi ultra decenam,in uno petio, ſub pena ut ſupra.

Item quod moniti a Supraſtantibus de re non admiſsibili,& quod de ea non uendant, debeāt ipſam amouere ab apoteca,ſub pœna duorum duc.

Item quod dato pretio a Supraſtantibus non reſiſtant,ſed de eis uendant cuicunque emere uolenti,nec ab apoteca amoueant apportata,ſub pœna duorum duc.

De apponentibus impedimentum & offendicula in vijs publicis.

SI quis maior quatuordecim in viis publicis aliquod impedimentum & offendiculum, tam intra,quam extra Priuetnum & per eius diſtrictum in incommodum tranſeuntium appoſuerit,videlicet trabes,faſces lignorum,ſaxa quæ humeris portari non poſſunt, cadauera beſtiarum, aut banca,& ſimilia,uel foſſam fecerit,ſic & in uiis uicinalibus,decem carl.ſoluat,& de nocte duplicetur pœna,atq; per inquiſitionem intra menſem ad præmiſſa procedi poſsit.

Quod non fuſtigentur fruges in platea communis,ſeu in Eccleſiis.

SI quis fruges in platea communis,aut Eccleſiis fuſtigauerit,quatuor carl.ſoluat,ſub qua etiam pœna poſteto die,uel ante,paleas & alia impedimenta amoueat.

De diſtricto fori,ſeu plateæ communis.

FOrum publicum,ſeu plateam communis declaramus a muris Eccleſiæ S.Mariæ & domus Archipresbiteratus,per latitudinem,uſque ad muros domorum Familiæ de guarinis, videlicet incluſa uia,quæ ſub inferiori platea exiſtit. Et per longitudinem a palatio communis quantum ſe extendit a latere macelli,uerſus plateam uſque ad angulum domus exiſtentis in frontiſpicio dicti palatii.

De ſubuertente famulum alicuius.

STatuimus & ordinamus,quod ſi quis alienum famulum ſubuerterit a primo ſuo domino eo inuito ſeu inſcio,aut ad eius ſeruitia receperit,aut interlaxari fecerit completum tempus conuentum cum primo domino iuxta formam primi inter dominum & ſuum famulum celebrati contractus,duorum ducatorum pœna puniatur.

Et nihilominus famulus ita ſubductus cogatur ſeruire primo domino per totum tempus conuentum;ſi eidem domino placuerit.

De turbatione, ſeu captione Areæ ad triturandum, & aquæ pro lino.

STatuimus & ordinamus,quod ſi quis capta prius area ab aliquo ad triturandum,ſeu aqua pro lino maturando,cum aliquo ſigno faſcis ſegetis, aut manipuli lini,uel ſimilium ut moris eſt,primum occupantem turbauerit,ſeu ſpoliauerit,pęna carl.x.puniatur, & credatur accuſatori cum uno teſte;Qua area & aqua ita capta ſi primus occupans uſus non fuerit intra xxiiij.horas, poſsit ab alio occupari;ſi uero uti cæperit,non poſsit impediri,niſi perfectis triturationibus primi occupantis,etiam a proprio domino areæ,ſi tacuerit de apportatis & commetatis ibi frugibus, ſub eadem pœna.

Quod non liceat natare,nec aliqua facere,vel exercere prope mulieres lauantes in flumine Amaſeno dum lauant.

STatuimus & ordinamus,quod nullus,cuiuſcunque ſtatus,gradus, aut conditionis exiſtat,maior xiiij.annis,poſsit,aut ualeat natare in flumine Amaſeno in quocunq; loco,ubi & dum mulieres ſaltem duæ,aut plures,pannos lauant,neque prope eas per cannas xxxx.ſub pœna ducatorum quinque pro quolibet & qualibet uice.

Item quod in locis & per loca prædicta nullus ut ſupra poſsit,nec ualeat piſcari,tā hamo, quā ſpanderia & alio quouis genere,ſeu inſtrumento ad piſcañ.apto,dum mulieres præfatæ lauant ut ſupra,ſub pœna prædicta pro quolibet quotiens,&c.

Item quod in locis pariter & temporibus antedictis nulli ut ſupra liceat nagari,diſcurrere, ſeu incedere cum ſandalis,tam cauſa piſcandi,quam ſpatiandi,& alia quacunq; de cauſa, appropinquando ſe mulieribus lauantibus antedictis,dum lauant,per ſpatium ut ſupra declaratū,ſub pœna prædicta,in quemlibet contrauenientem quotiens,&c.

Item quod nullus vaccinarius,ſeu pelliparius,tam ciuis,quam foreſis terræ Priuerni audeat purgare,ꝑparare,ſeu aptare,aut(vt uulgo dicitur)apparechiare,ſeu cōciare pelles, & coria quorumcunq; animalium,ſeu illas uel illa præparari,aut aptari facere ab aliis nec aliqua miniſteria huiuſmodi artis & exercitii facere,uel exercere,ſeu ab aliis exerceri facere in flumine antedicto aut illius riuis,neque caualle&os ſuos inibi retinere,nec illis uti,in locis uidelicet quibuſcunque propinquis mulieribus lauantibus antedictis & earum lauatoriis,etiam pro tempore quo non lauauerint,per cannas xxxx.ut ſupra,ſub eadem pœna duc.quinque.Quas omnes pœnas in ſingulis capitulis antedictis appoſitas pro medietate Cappellæ ſanctiſsimi Sacramenti dictæ terræ, & pro una quarta parte accuſatori,& reliqua executori applicamus.

Liceat tamen Vaccinariis & Pellipariis antedictis impune pelles & coria quæcunque purgare ſeu præparare, & alia quæcunque ad eorum artem exercere in loco nuncupato, lo Baglietto dicti Fluminis iuxta Molas Canonicorum dictæ terræ, videlicet a ponte infra verſus foſſatum formæ, etiam tempore quo mulieres ibidem lauabunt.

De Linis forenſium non maturandis in Territorio Priuerni.

ITem ſtatuimus & ordinamus quod nullus foreuſium audeat nec debeat lina immittere, aut immitti facere ad macerandi ſeu maturandi in lacu dicti Communis in flumine amaſeno, aut alijs cauatis, vel locis Territorij Priuerni, ſub pœna ſcutorum decem pro quolibet ac amiſsione dicti lini; & ſiquis cuius lina huiuſmodi forenſium contra formam præſentis ſtatutis ad macerandū vt ſupra immiſerit, eadem pœna puniatur.

Item quod domini Syndicus & Officiales Priuerni non poſsint nec valeant quibuſcunque forenſibus licentiam concedere de macerando lina, vt ſupra, niſi cum auctoritate Concilij, ſub eadem pœna pecuniaria pro quolibet.

De Auferendo puzzolanam ſeu letamen de locis publicis.

SI quis puzzolanam effoſſam per alium intra triduum de loco publico abſtulerit, ſic & effoſſum in immunditiariis letamen intra totum ipſius effoſsionis diem in præiudicium effodientis ſibi amouerit, duos carl. ſoluat.

De retinentibus letamen in viis & locis publicis.

SI quis congregatum letamen in viis publicis intra Priuernum plus tridno retinuerit, duos carlenos ſoluat quotidie vſque ad eius amotionem, ſi accuſabitur.

De Furnariis.

SI qua mulier furnaria aliis temporibus in furnorum ſeruitia ſe geſſerit, illaque forſan intermiſerit, debeat requiſita iterum congruis ſalariis in eadem ſeruitia ſe gerere, ſub pœna x. carl. & ſi ſemel monita ac ſoluta pœna pertinaciter perſeuerauerit contra hoc ſtatutum, aliis pœnis ad mandatum domini Poteſtatis in ipſa ſeruitia furnorum, vt ante, redire teneatur, & omnino compellatur, niſi legitimam & rationabilem excuſationem adduxerit.

Item ſi quis dominus furni requiſitus conuenienti pretio illum non locauerit, propter quod furnus ipſe non exerceatur, eadem pœna puniatur.

Item ſi quis ſuum furnum, qui in actu & exercitio furni per menſem fuerit, deſtruxerit ſine licentia D. Poteſtatis, & ſine cauſæ cognitione x. duc. ſoluat, intra menſem accuſatus.

Item ſi qua furnaria conſuetis in ſuo furno per vices mulieribus panem decoquere negauerit, duos carl. ſoluat.

De pœna proiicientis aquam de domo & alias immunditias.

SI quis aquam immundam de domo aut aliquem liquorem ſeu alias immunditias proiecerit per ſcalam, feneſtram, ſeu ianuam in vias publicas, etiam ſi alicui damnum non dederit, quatuor carl. ſoluat, & accuſare in his liceat cuilibet de vicinia vſque ad tertium vicinum incluſiue, ac militi Curiæ, & ei cui damnum euenerit.

De immunditiarum proiectione & quibuſcunque aliis ſpurcitiis.

SI qua perſona proiecerit immunditias, paleas & quas palliceas appellant, aut aliquas ſpurcitias in vias & loca publica intra Priuernum, ſic & priuatorum iniuris eorum domiuis, atque extra Priuernum per eius montem, in vias etiam, locaque publica præterquam in immunditiariis portarum, ſoluat carl. duos, & immunditiis expurget locum; liceat autem cuicunque tramutanti vinum, fecem proiicere in viam publicam ſi per eam tunc temporis aqua defluxerit pluuialis, & vicino contra habitanti, aut infra, per proiectionem huiuſmodi iniuriam non fecerit.

Item quod quilibet debeat tenere ſuas atraſennas purgatas ſub pœna quatuor carl.

Item quod quælibet familia quolibet die ſabbathi, debeat emundare ſeu expurgare vias publicas ante ſuas domos & ſuos hortos contiguos intra Priuernum, a Kal. Iunii vſque ad Kal. Septembris ſub pœna dimidii carleni, quæ pœnæ non exigantur, niſi prius facto bandimento a dicto Poteſtate.

Item ſtatuimus quod Artifices & Apotecarii ſub eadem pœna emundent ſeu excopent aut excopari faciant quolibet die ſabbathi vt ſupra vias ante eorum apotecas, partita excopatione inter contrauicinos, & ſi vicinum contra non habuerit, emundent uſque ad duas cannas a muris ſuarum apotecarum per largum; quod intelligi nolumus ante domos, vbi aliqua largior aliquãtulum ordinario via fuerit. In viis autem ordinariis teneantur habitatores domorum emundare ante eorum domos per largum uſque ad murum poſitum contra, ſi murus is fuerit non habitatæ domus, non ſtabuli in actu, non domus in qua ſit fœnum, aut palea, nel non hortorum, ante quos uerisimile ſit eius dominum potuiſſe uiam ipſam ſordidam reddere, ſub eadē pœna quolibet die ſabbati ut ſupra, in locis uero, ubi frequēs nō erit habitatio nulla ſit huiuſmodi obligatio.

Item quod Camerarius Communis teneatur a Kal. Maii uſque ad Kal. Septembris, ſub pœna quatuor carl. quolibet primo ſabbatho Menſium expetrari facere plateam Communis expenſis eiuſdem Communis.

Item ſub eadem pœna & eiſdem expenſis, faciat emundare ipſam plateam in Vigiliis feſtorū Corporis Chriſti, & Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis ante Veſperas.

Item quod ubi ſemel ipſo ſtatuto tempore emundata via fuerit, ſi etiam ipſo die emundationi ſexordeſceret, ut ſæpe euenit, nulla propterea pœna ſoluatur.

Item ſi quis inuito domino in aliena loca intra Priuernum, digeſtum, aut exoneratum corpus acceſſerit, maior quidẽ xiiii annis, duos car. ſoluat, ſaluis nihilominus ſtatutis ſuperius in tertio libro poſitis de exquaſſatione & ingreſſu domorum, quæ in ſuo robore firma permaneant.

Item quod nulla perſona ludat iocis etiam non prohibitis in Eccleſiis aut in cimiteriis, aut illuc fœnum, linum, aut paleam intromittat & retineat, immunditias proiiciat, pannos aut filatum in eorum muris & pertinentiis extendat, ſimiliter & ante imagines ſanctorum ſub pœna duorum carl. quotiens &c. pueri vero a x. annis infra his pœnis non includantur.

Item quod nulla perſona extendat pelles & coria recentes & recentia, in locis & uiis publicis intra Priuernum, aut eius uiarum muris, necnon in portis Priuerni earumq; pertinen. per xx. cannas, ſub pœna carl. x. ſic etiam in muris Eccleſiarum, aut aliorum priuatorum inuito domino, ſub eadem pœna.

Item quod nulla perſona extendat pelles & coria etiam paratas & purgatas cuiuſcunq; qualitatis, a porta Poſterula uſque ad portam Caietanam, nec in muris eccleſiarum & Cemiteriorum, eorumque pertinentiis, ſub eadem pœna, liceat autem coriariis & calceolariis pelles & coria in totum purgatas & paratas extendere ante eorum apotecas in uiis publicis cum uenalia illa exhibuerint, aut ad oſtenſionem ſine aliqua pœna.

Item quod nullus coriarius exerceat artẽ ſuam in uiis & locis publicis ſub pœna quatuor carl.

Item quod nulla perſona ponat, aut figat, & ſtabiliset bancum ſuũ ante domum & apotecas ſiue proprias, ſiue alienas, quod exporrigatur per quatuor palmos de canna a muro ſuæ domus, uel apotecæ, ſub pœna x. carl. & bancum deſtruat.

Item ſi qua perſona fecerit immunditiarium, ſeu monazzarium in uiis publicis intra Priuernum, x. carl. pœna puniatur & locum expurget.

Item quod nulla perſona maior xiiii. annis proiiciat aliquas ſordes, ſeu immunditias vel ſaxa in puteos aut fontes tam publicos quam priuatorum, ſub pœna duorum carl.

Item quod nulla perſona proiiciat cadauera beſtiarum citra 40. cannas a uiis publicis portarum Poſterulæ & Caietanæ, & a muris Priuerni circa centum cannas, ſic & ante Eccleſias, & circa eas per 40. cannas, ſub pœna quatuor carl. ſtatuto de tranſuerſatione impedimentorum in uiis publicis ſemper ſaluo.

Item quod nulla perſona excuſetur a proiectione in præmiſsis dicens, ego eas immunditias non proieci, ſi ante ſuam domum inueniantur, niſi probauerit legitime alios proieciſſe.

De pœna deturbantis aquam fontis leonis.

STatuimus & ordinamus, quod nullla perſona lauet pannos aut herbam, intra fontem leonis eiusque fontanilia, aut ſpurcitiam ibi faciat, ſeu aquam ipſam deturpet, ſub pœna quatuor carl. nullaq; perſona uadat in ipſum fontem aquatum cum barilibus, ſub pœna prædicta.

De Pœna accottumantis.

SI qua perſona accottumauerit bona quęcunque comeſtibilia portata Priuernum, ſeu aliter per uiam, antequam Priuernum intromittantur a forenſibus, ſoluat carl. quatuor, & tamen bona ipſa accottumata publice uendantur iuxta pretiũ ſupraſtantium; & accottumatio ut ſupra bonorum intelligatur cum quis totas res emerit ante triduum a portatione, & eas poſt iterum uendat, ſtatutis de nundinis & mercato ſemper ſaluis.

De Piſciuendulis & Piſcatoribus.

STatuimus & ordinamus quod tam in terra Priuerni quam extra piſces non poſsint aliter uendi, ſeu emi, quam ad pondus, intra cancellos lapidis piſcium iuxta Palatium Communis, præter ſardas quæ uenduntur ſine pondere ad numerum, & quæ uendi debeant in circuitu plateæ, ſub pœna quatuor carl. quæ pœna afficiat tantummodo ciues ementes & uendentes alibi quam in dicto loco, quia forenſes poſſunt habere iuſtam cauſam ignorantiæ præſentis ſtatuti, & credatur cuicunque maiori xiiii. accuſanti cum iuramento & uno idoneo teſte, ſaluis tamen infra ponendis clauſulis.

Item ſi quis attulerit piſces ad uendendũ Priuernis illos non uendat ſine appretiamento per ſupraſtantes, ſub pœna ut in ſtatuto de ſupraſtantibus. liceat autem cuicunque uenditori piſcium intra Priuernum per plateam Communis infilzatos piſces uendere ſine appretiamento ut ſupra, dummodo eos infilzatos a piſcheriis afferat, & in totum non excedant pondus unius decenæ, ſiue una ſiue plures fuerint filzæ; & quando excedunt unam decenam, uendi debeant ad pondus & impoſito precio modo præmiſſo.

Item quod uenditores piſcium ad pondus debeant ponderare ipſos piſces ad bilancias iuſtas, ſub pœna x. carl.

Item quod quælibet libra piſcium in uenditione ſit tredecim unciarũ, ſub pœna de menſuris falſis, & appretiatores debeãt id curare dãdo uẽditori in ſimilibus pódera ut ſup. ſub pœna x. car.

Item quod excuſentur a pœna emptor & venditor, cum accuſantur de non ponderatis & non venditis piſcibus iuxta formam ſtatuti dicendo eos donatos, dummodo vere fuerint donati.

Item quod omnes & ſinguli piſcatores, qui in piſcheriis piſcabuntur in diſtrictu Priuerni, debeant recentes ex eis piſces quomodocunque captos vendere intra Priuernũ, ſub pœna x. carl. modo & forma ſtatuti ſeruatis.

Item quod exoneratis piſcibus ad vendeñ aut non exoneratis, tamen adductis beſtiis ipſis oneratis iuxta lapidem & cancellos, aut aliter diuertentibus in plateam verſus lapidem piſcium non diſcedat adductor ipſe Priuerno cũ ipſis piſcibus, niſi poſt tres completos dies, ſine licentia D. Poteſtatis, aut D. Reſidentis gratis danda, ſub pœna xx. carl.

Item quod vbi plures & diuerſi domini piſcium eodem tempore vendere uoluerint, poſſint ad diſpoſitionem Supraſtantium in aliis locis per plateam uendere, quam intra cancellos, ſine aliqua pœna, ſic & tempore pluuiali.

Item quod nullus uolens emere piſces, debeat ingredi intra dictos cancellos, ſed ſtare debeat extra cancellos ipſos ad emeñ, ſub pœna vnius carl.

Qui ſint honorandi in venditionibus.

STatuimus & ordinamus, quod nulla perſona audeat, ſub pœna quatuor carl. in emendo ſe opponere & anteferre contra infraſcriptum ordinem, videlicet.

In primis honoretur & præponatur vtraq; Curia, ſcilicet perſona D. Poteſtatis & D. Vicarii Epiſcopi, cæteris quibuſcunq; cum ſuos famulos mittunt; Præponantur Religioſæ perſonæ in habitu cæteris laicis, præponantur doctores legum, & artis Medicinæ aliis literatis viris; Præponantur Notarii cæteris inferioris gradus; Præponantur Chriſtiani quicunq; omnibus infidelibus; ſub qua etiam pœna venditor requiſitus per gradus præmiſſos ſatisfaciat prædicto ordini.

Quod mulieribus non liceat cadauera mortuorum comitari.

STatuimus & ordinamus, quod mulieres quæcunq;, tam conſanguineæ, quam affines mortuorũ vſq; ad ſecundum gradum de iure canonico incluſiue, nullo modo debeant comitari cadauera mortuorum ad eccleſiã, ſub pœna x. duc. pro qualibet. Viri vero cadauera comitantes non debeant plorare vociferando, neq; voces, aut planctus emittere, ſub pœna v. duc.

De his qui morantur in molendinis oliuarum, & earum molitoribus.

STatuimus & ordinamus, quod molitores oliuarum debeant tempore molitionis retinere in ipſorum, in quibus ſe exercent, Piſtrinis huiuſmodi, bucale iuſtum ſigillo communis ſigillatum, ſub pœnis de falſis menſuris.

Item quod non recipiant vltro duo bucalia pro qualibet factura oliuarum, quam montanum appellant, ſub pœna duorum duc. & ſic reſpectiue infra montanum præfatum ad rationem duorũ bucalium pro quolibet montano recipiant ut ſupra, ſub pœna prædicta.

Item quod quælibet factura ſiue montanũ oliuarũ ſit quinque tummulorũ ad menſurã frumẽti ordinariam communis, ſub eadem pœna, & quod dictæ menſuræ debeant adæquari & adinſtari per Supraſtantes, & Montanarii debeant uti dictis menſuris adæquatis & non maioribus, neque minoribus, ſub eadem pœna.

Item quod aqua de piſtrino exeat ſub ſubterraneos meatus uſque ad extra muros Priuerni in loca publica, ſub pœna x. carl. præter damni emendationem, quam in omnibus caſibus intelligi volumus.

Item quod nulla perſona moretur in piſtrino oliuarum noctis tempore & poſt ſonum ſcaranæ, præter eas, quarum intereſt ibi morari pro oliuis, & molitores ipſos, ac eorum dominos, ſub pœna duorum carl.

Quod nullus retineat paleas in diſcoperto intra Priuernum.

STatuimus & ordinamus, quod nullus retineat paleas in diſcoperto intra Priuernum, ſub pœna quatuor carl. præter damni emendationem vicino ex eis quomodocunq; illati.

De menſura terrarum.

STatuimus & ordinamus, quod quælibet opera terrarum eſſe debeat cum cauatis ipſis ut moris eſt nonigentarum cannarum plenitudinis ad menſuram cannæ communis, & quælibet octo operæ faciant vnum rublum telluris.

Item quod menſuratoris merces non ſit vltra medium carlenum pro qualibet opera vſque ad quatuor operas incluſiue, & a quatuor ſupra, præter ipſos duos carl. ſit merces unius bologneni pro qualibet opera & non ultra, ſaluis partium conditionibus.

De vadis inuentis in piſcheriis, ſeu Foſſellis.

SI quod vadum inueniatur factum in piſcheriis communis, ſeu foſſellis piſcheriarum, & non inueniatur ipſius factor, teneantur piſcatores qui in illis piſcantur eorũ expenſis intra octo dies bene reparare, ſub pœna duorum ducatorum.

De iacientibus in columbos.

SI quis intra aut extra Priuernum in alienis Columbariis & locis, ac etiam publicis contra co-
lumbos archibuſium, ſeu baliſtam exparauerit, vel ſaxa aut alia miſſilia proiecerit manu, vel
alio genere inſtrumentorum, quatuor car. pœna puniatur qualibet vice, ſi non occiderit; ſi vero
columbos occiderit, pœna ſit vnius ducati pro quolibet; & eadem pœna puniantur qui columbos
ſcilicet domeſticos occiderint, vel de columbariis apprehenderint aliquo alio genere inſtrumen
torum.

De nono Ponte non faciundo super flumine Amaſeno, neque Paulino, et per eum non tranſeundo.

STatuimus & ordinamus quod nulli liceat ſuper flumine Amaſeno atque Paulino, inquantum ſe
extendit territorium Priuerni aliquem pontem, aut pontes facere etiam pertica, ſeu trabe, vel
trabibus illosque in Ripam dicti territorii Priuernatis appodiare, ſine expreſſa licentia Commu-
nitatis dictæ Terræ, & illius generalis Concilii, minusque per pontem, ſeu pontes ipſos pertran
ſire, quocunque prætextu; Alias quicunque contrafecerint tam Ciues Priuernates quam foren
ſes xv. ducatorum pœna pro quolibet puniantur, tam in appodiando quam tranſeundo vt ſupra
quotiens &c.

De ludentibus Caſeo & rotulis, ſeu pilis ligneis.

STatuimus & ordinamus, quod nullus audeat ludere in Terra Priuerni ad caſeum, ſeu cum for-
mis caſei miſſilibus, ſine licentia D. Poteſtatis, ſub pœna vnius duc. pro quolibet. Ad ludum
vero rotularum, ſeu pilarum lignearum miſſilium nemo poſſit intra Terram ludere, & D. Pote-
ſtas non poſſit dare licentiam ludendi, ſub pœna v. duc. de ſuo ſalario auferen. & eadem pœna
puniantur ludentes.

De macinulantibus linum.

SI qua perſona linum aut ſimile macinulauerit in Terra Priuerni videlicet per viam rectam à
porta Poſterula vſque ad portam Caietanam tantum, duos car. ſoluat pro quolibet die, & ſi in
alieno loco inuito Domino forſan macinulauerit ſoluat tantumdem, & nihilominus vbique locũ
purget; extra verò Priuernum per montem, & campum in viis publicis liceat macinulare ſine ali
qua pœna, præterquam prope eccleſias per xx. cannas, & præterquam in Viis S. Laurentii ab Ec-
cleſia S. Antonii ſupra, intra vero Priuernum vbique etiam in loco priuato nulla perſona maci-
nulet, ſi per quatuor domos Vicinus infirmus extiterit, & non macinulare monuerit, ſub eadem
pœna. Et in præmiſſis quilibet accuſare poſſit, & miſſes Curiæ ſeu mandatarius accipiens linum
à mulieribus macinulantibus ſub promiſſione de ipſas non accuſan. duplici pœna puniatur, & ea
dem duplici pœna puniantur macinulantes ſub dicta promiſſione.

De non obſeruantibus promiſſum, ſiue de Gabbo.

SI qua perſona promiſerit pro certo die & tempore alicui ad laboran. aut beſtiam præſtan. & ſi-
ne legitimo impedimento promiſſum non obſeruauerit, quatuor car. ſoluat de facto, & dam-
num emendet propterea emergens, & credatur accuſatori cum iuramento, & vno idoneo teſte;
Et ſi non obſeruans vt ſupra aliquid pro arra, aut integram ſolutionem acceperit, dupli ci pœna
puniatur; ſaluis aliis ſtatutis de famulis non obſeruantibus, ſeu diſcedentibus ante completum
tempus ſuperius loco ſuo poſitis; Actio autem accuſandi in præmiſſis ſolum competat decepto
intra quatriduum.

De lucro interficien. lupum.

SI quis lupam fœminam interfecerit in campo Priuerni, & eodem die ipſam in muro palatii af
fixerit, Camerarius Communis ſoluat interfectori de pecunia Communis quatuor car. ſub pœ
na vnius duc. Ei vero, qui lupum marem interfecerit, duos car. ſoluat vt ſupra, illi verò, qui catu
los lupinos occiderit, & vt ſupra affixerit ſeu ſuſpenderit, car. vnum ſoluat pro quolibet catulo,
intra triduum, ſed ſub eadem pœna Camer. auriculas incidat ipſis beſtiis apportatis, vt fraus cõ
mitti non poſſit; nam ſine auriculis lupum qui portauerit, nihil lucretur.

De rumore non faciũ circa Eccleſias dum verbum Dei prædicatur.

STatuimus & ordinamus quod nullus faber ſiue ferrarius ſiue lignarius audeat dum in Eccleſiis
prædicatur uerbum Dei, malleum ferreum, ſeu ligneum, uel aliud inſtrumentum in eorum arti
ficio exercere, ex quibus rumor, ſeu ſonitus poſſit cauſari per xxxx cannas circa eccleſias prædi-
ctas, ſub pœna quatuor carl. & eadem pœna puniantur qui circa dictas Eccleſias ut ſupra cantа
uerint, aut aliqua inſtrumenta muſica pulſauerint, ſeu aliter rumorẽ, aut uociferatione fecerint.

De Iudæis Priuerni habitantibus.

STatuimus, & ordinamus, quod Priuerni habitantes fœneratores iudæi teneantur facere Bra-
uia iuxta formam ſtatuti de brauiis ſuperius poſiti in primo libro.

Item quod cum moritur aliquis iudæus, vel iudæa, teneatur eius familia, ſeu hæres facere unam
cannam bonæ ſilicis & perfectæ in aliqua uiarum publicarum ad requiſitionem Viariorum, ſub
pœna ducatorum duo. nec excuſetur pro gradu ætatis, cum etiam de abortu poſt tertium menſem,
ad præmiſſa familiam præfatam teneri ordinamus, & intra x. dies poſt obitum.

Item quod Iudæi non admittantur ad accuſan. niſi de iniuriis, & offenſionibus, ſeu damnis pro priis contra Chriſtianos, nec aliter eis credatur ſine duobus idoneis teſtibus Chriſtianis, ſub pœna nullitatis accuſationis.

Item quod in teſtimonium non admittantur contra Chriſtianos, ſub pœna nullitatis eorum depoſitionis.

Item quod Iudæi die Iouis & Veneris hebdomadæ S.non exeant de propriis habitationibus eo rum, nec foreuſes Hebræi Priuernum adueniant, ſub pœna duorum duc.

De Currentibus cum equo per Plateam.

SI quis diebus Dominicis & feſtiuis de præcepto cum equo currere audebit à porta Poſterula vſque ad Caieranam, præterquam die Dominico carnis priuii cum currunt ad annulum, ſic & aliis feſtiuis diebus cum currunt ad brauium, duos car. ſoluat, quam etiam pœnam ſoluat, ſi aliis diebus non feſtis equos quis per eadem loca cucurrerit, & prius diligentiam non fecerit, de amouẽ pueris per viam per quam currit.

De loco in quo fructus vendi debeant.

STatuimus & ordinamus quod quicunque fructus veluti pyra, mala, ſerſi milia in ſacris aut ciſtis apportauerint exteri ad vedẽ, vbi portas Priuerni cum portantibus beſtiis intrauerint, non ali bi eas exonerent & vendant, niſi in circuitu Plateæ Communis, ſub pœna quatuor car. Fœminæ autem exteræ, quæ fructus in capite portauerint, vendant impune ad libitum vbique, quantum ad loca, & ab ipſo ingreſſu portarum.

Item quod pepones & ſimiles hortorum fructus Auguſtinos non vendant Ciues nec exteri ali bi, poſtquam ab horto eos adduxerint, quàm in platea ſuprema iuxta apotecas Canonicorum, ſub eadem pœna.

Quòd Vicini vendant Vias aliis Vicinis non habeñ.

SI quis non habeat viam, per quam poſsit ire ad ſuam vineam, ſeu aliam poſſeſſionem, ei liceat conuenire vnum, vel plures vicinos, vt ſibi vendere debeant viam neceſſariam iuxta viariorum iudicium ſecundum formam ſtatuti de officio viariorum.

De decima ſoluenda per calcarios.

SI quis in territorio Priuerni calcariam decoxerit, pro ea ſoluat Communi aceruum vnum cal cis decoctæ prope ipſam calcariam, ſub pœna duorum ducatorum, nec calcariam exfurnare calcariolus præſumat, ſub eadem pœna, ſi ad eam exfurnationem Camerarium Communis prius non vocauerit pro aceruo recipiendo. Camerarius autem Communis debeat ſub eadem pœna ire ſeu mittere expenſis Communis ad ipſum aceruum recipieñ pro Communi, quem receptum intra decem dies aſportari facere ad ea loca, ad quæ DD. Officiales deliberauerint pro Commu ni vtilitate & ſeruitio diſpenſañ.

De maceriis et muris cadentibus.

SI cuius maceria aut murus ceciderit in vias publicas debeat eius Dominus illinc lapides, aut calcinacia amouere inconuenientem viæ expurgationem intra ſex dies, ſub pœna quinq; car. & nihilominus ad purgationem ipſam aliis iniunctis pœnis compellatur per Curiam, lapides ve ro poſt ſextum diem legitime ſint illos occupantis. Si cuius autem maceria aut murus ceciderit in rem priuatam alienam, debeat ſub eadem pœna eius Dominus intra octo dies locum ipſum in quo ceciderit conuenienter purgare, & nihilominus ad purgationem ipſam, poſt dictum tempus inſtante Domino loci compelli poſſit per Curiam aliis pœnis iniunctis, ſed ſi lapſo dicto tempo re ipſius loci Dominus vt ſupra lapides ſibi occupauerit, legitima ſit eiuſdem occupatio in præ miſſis.

De Cuſtodia Portarum.

STatuimus & ordinamus quod in qualiber porta deputetur vnus portinarius, qui ſit probus, & fidelis pro ipſius cuſtodia, ad ſex menſes aut ad annum, pro ſalario conuenienti, arbitrio DD. Officialium de pecunia Communis, & vltra dictum ſalarium quilibet ingrediens portam cum be ſtiis oneratis lignis aut fraſchis, teneatur dare vnum petium ligni vel vnam fraſcam pro qualibet ſalma reſpectiue, ſub pœna vnius car. Officiales autem qui intra octo dies poſt initum eorum of ficium portinarios in portis non deputauerint ſaltem pro eorum ſemeſtri, aut inuentos in ipſa cu ſtodia non confirmauerint, quatuor duc. ſoluant, Et nihilominus ſub eiſdem pœnis intra alios octo dies cuſtodiis ipſis prouideant, & portinarios deputent, qui ſint oriundi de Terra Priuerni. Portinarii Officium ſit de die aſtare iuxta portam ſuæ cuſtodiæ, aut intus, aut foris, & referre, ſi graſcia aſportatur extra territorium, ſi de hoc notitiam habuerit. Claudat portam poſt duas ho ras noctis, & de nocte moretur in loco non procul à porta xxv. cannas. ante diem non teneat por tam apertam, niſi poſt auroram, ſed aperiat cuicunque Priuernati omni tempore volenti intra re, aut exire, ſic & exteris, niſi in mandatis a Curia aliter habuerit, & præmiſſa omnia portina rius obſeruet, ſub pœna duorum car, quoties accuſabitur.

De Ciuibus fictiue ementibus beſtias forenſium.

SI quis Ciuis Priuernas à forenſibus, ſeu exteris beſtias fictiue emerit, ad effectũ illas retinẽs in territorio Priuerni, ſoluat pro quacunque huiuſmodi emptione duc. x. Et nihilominus beſtiarum exterarũ Dominus pro diffidatis beſtiis ipſis duplici pœna diffidationis puniatur, Et deinceps poſt conuictum emptorem, ſi eas in territorio præmiſſo detinuerit, pro eiſdem tamquam diffidatis quomodolibet biduo ſoluat pœnas accuſatus.

De Mercatoribus pannorum,

AD obuiandum fraudibus, nullus Mercator qui Pannos in ſua apoteca retinuerit, caput, aut caudam petiæ, nec cingulum per longum a panno dimoueat ſub pœna duorum duc. pro quolibet panno, ſeu petia, ſed eorum altero, capitis ſcilicet panni, aut caudæ in petio retento procedat ad venditionem ipſam, & ſimiliter cingulum à petiis pannorum in totum non amoueat, niſi pro menſura panni venditi, ad hoc vt qualitas panni poſſit cognoſci.

De ſimilibus ad ſimilia.

STatuimus & ordinamus quod vbi perſtatutum aliquid ſpecialiter non exprimitur in damnis datis & extraordinariis, procedatur in eo de ſimilibus ad ſimilia.

De conductoribus terrarum.

SI quis colonus conductor alicuius fundi ex meſſe aliquid ſibi attribuerit inuito domino, atque fruges triturauerit ſine ſcientia Domini fundi, ſeu eo non monito ſaltẽ ante xxiiii. horas quinque duc. ſoluat, & quod vſurpauerit reficiat duplicatum. Quod autem diximus de conductore alieni fundi, dicimus & ordinamus de conductore alienæ vineæ reſpectiuè è meſſibus ad vindemias, & alios fructus.

Quod externi non poſſint ferre arma per Priuernum, & eius territorium.

STatuimus & ordinamus quòd nullus forenſis in Priuerni Territorio ſub famulatu alicuius Ciuis exiſtens, & qui in Terra, ſeu Territorio Priuerni in alienis, ſeu propriis rebus laborauerit, necnon affidatus in Territorio prædicto, & finitimus, non poſſit nec debeat afferre arma quæcũque offenſibilia per Terram, & Territorium, vt ſupra Priuerni, ſub pœna x. duc. de facto ſoluendorum, & perditionis Armorum.

De beſtijs ſcriptis ad macellum etiam forenſium.

STatuimus & ordinamus quòd omnes, & ſingulæ beſtiæ ſemel deſcriptæ ad macellum, & eius vſum, non amoueantur de Territorio Priuerni ſine licentia Concilii, ſub pœna xl. duc. ſiue eæ fuerint Ciuium ſiue forenſium.

Item quod forenſium beſtiæ deſcriptę ad macellum ut ſupra iiſdem commodis & oneribus ſubiaceant, quibus ſimiles deſcriptæ beſtiæ Ciuium, etiam cum ſolutionibus ordinariis pro introitu intra campum, ſi ſtatuto tempore in illum introire uoluerint.

Item quod liceat macellariis quibuſcunq; macellum facientibus in Terra Priuerni beſtias minutas à x. & infra retinere ſine damno omni tempore in monte Priuerni, & in euentum damni pœnam ſoluant, & emendent.

Quod quilibet habitator Priuerni plantet Arbores.

SI quis uineam habuerit in diſtrictu Priuerni ſuam, aut conductam, teneatur & debeat in ea plantare ſaltem tres arbores perſicorum, & tres ficuum intra biennium à tempore paſtinationis, ſub pœna duorum duc.

De calcinarijs coriariorum.

STatuimus & ordinamus quod calcinaria pro pellibus, & coriis purgandis, non poſſint exerceri intra Priuernum, præterquam in locis non habitatis per xxv. cannas, & debeant eſſe contigua mœnibus Priuerni, neque alibi mulſam, ſeu pinguedinem uocatam aſſongiam ad impinguandum pelles, & coria operari poſſint, ſub pœna duorum ducatorum pro quolibet contrauenientε, in ſingulis præmiſſis.

De menſuris radendis, & quæ ad culmum.

STatuimus, & ordinamus quod frumentum, & cætera blada menſurari debeant ad raſum, cum ad quartam, ſeu ſcortia menſurari contigerit; Auena uero, & lupina ad culmum mẽſurentur, ſic & nuces, caſtaneæ, pyra, mala, & ſimiles arborum fructus, ad culmum menſurari debeant, ſic & myrti puluis, & calx uenalis. Sciendum tamen quod quatuor quartæ faciũt unum rublum Romanum, nam quam nunc quartam uulgus appellat, ſemiquartam declaramus, ideſt octauam rubli partem. Declaramus etiam muſti caballatam fore, & eſſe debere tredecim congiorum, & cõgium continerę in ſe x. bucalia. Vini uero puri caballatam congia duodecim continere.

De

De igne in Platea prope ſcalas S. Mariæ in vigilia Natiuitatis Domini.

STatuimus & ordinamus quod quilibet cuſtos campi per portas electus debeat ſub pœna duorum car. portare ante Veſperas in vigilia Natiuitatis D. N. Ieſu Chriſti in plateam Communis prope ſcalas S. Mariæ unam ſalmam lignorum, & mandatarius de ipſis lignis cōponat ignem ſtatim poſt ultimum ſonum ad Veſperas vigiliæ prædictæ in honorem Dei & ſignum lætitiæ Chriſtianorum, ſub pœna quatuor car.

Intra quotum tempus liceat accuſare in extraordinariis.

STatuimus, & ordinamus quod in extraordinariis, ubi per ſtatutum ſpecialiter non declaratur tempus ad accuſañ non poſsit accuſans niſi intra quatriduum accuſare, & in accuſationibus procedatur eo modo quo in damnis datis uſque ad ſententiam, & eius executionem, præterquam in pœnis corporalibus, ſi quæ forſan ibi reperiuntur, in quo caſu procedatur prout in maleficiis.

De Gabella piſcium.

SI quis piſces detulerit uenales ad pondus, ſeu ad ſcutellam, ſoluat Communi ſolidos tres pro qualibet ſalma, ſed ſi ſalma non fuerit, & in humeris uel aliter per propriam perſonam deferantur, ſoluat eorum Dñs pro qualibet ciſta, ſeu caniſtro ſolidum unum.

Item pro quolibet caniſtro gambarorum ſolidum unum, ſub pœna in ſingulis præmiſsis quatuor duc. & nihilominus gabella ſoluatur.

Quod fiat idem vicino, quod Priuernati per uicinum ſeu finitimum factum fuerit.

STatuimus & ordinamus quod in ſolutionibus pœnarum, & gabellæ & in aliis quibuſcunque ciuilibus caſibus idē fiat vicino, ſeu finitimo, aut non finitimo externo, quod Priuernati in eius oppido factum fuerit, ſi id ſtatutarias Priuernatum ſolutiones exceſſerit.

De ſolutione intraturæ campi per beſtias.

STatuimus & ordinamus quod ubi per ſtatutum conceſſas, ſeu per Concilium non prohibitas beſtias quilibet Ciuis Priuernas retinuerit in Territorio Priuerni quomodocunq;, debeat Camerario Communis in kal. Auguſti ſoluere pro ipſarum introitu intra campum in hunc qui ſequitur modum uidelicet.

Pro qualibet beſtia groſſa ſupra annum tam domita quam armentiua, præter vnum par beſtiarum pro qualibet familiā, & taurum vnum, ſic & ſtallonem pro quolibet armēto, quatrenos quatuor currentis monetæ, & pro qualibet aſſeccaticia intra annum quatrenos duos.

Pro quolibet grege ouium, ſeu caprarum car. duos; Quibus beſtiis liceat impune, ſtatuto aliquo non obſtañ uagari per intra campum per totum menſem Auguſti, & Septembris ſine damno; quod ſi dederint, de damno accuſentur, & non de intra campum.

Item quod quicunque ipſo die non ſoluerit vt ſupra obligatus, ſoluat pro pœna car. duos, & nihilominus retineatur in Palatio Communis, nec inde dimittatur, donec ſoluerit tam pœnam quam ſortem principalem.

Item quod ſi quis in præmiſsis fraudem commiſerit, puniatur pœna duorum duc. & fraudem emendet.

Item quod Camerarius præfatus ipſo die ſit in Palatio Communis pro commodo ſoluere uolentium, ſub pœna duorum ducatorum.

Item quod faciat ſaltem uocari octo uiros campi, qui ſolutionibus interſint huiuſmodi, ſub eadem pœna, ſub qua & ipſi uocati ut ſupra per mādatariū cum Camerario intereſſe debeant in Palatio, & ſolutiones inſpicere, ac numerum beſtiarum ſine reſpectu inquirere.

Item quod Camerarius Communis receptas pro introitu huiuſmodi pecunias deſcribete faciat ſeparatim in vno cartulario per Cancellarium ſub eadem pœna.

Item quod Camerarius præfatus ſub eadem pœna debeat ab octo viris campi requiſitus, ipſas receptas pecunias eis conſignare, ſicque conſignatas in cartulario præfato deſcribi facere.

Item quod ſub pœna duorum ducatorum debeant ipſi octo viri campi de huiuſmodi receptis pecuniis impendere pro neceſſariis campi reparationibus, intra duos menſes, & de eiſdem per ſe a Camerario receptis pecuniis rationem reddant ſub eadem pœna.

Item quod DD. Officiales non debeant intra duos menſes præfatos de eiſdem receptis pecuniis diſpenſare, aut deliberare, ſub pœna duorum ducatorum.

De Gabella magna.

STatuimus & ordinamus quod quicunque exterus, ſiue emerit, aliquid Priuerni, & eius diſtrictu, ſiue uendiderit, aut permutauerit, teneatur ſoluere gabellam modo, & forma infraſcriptorum Capitulorum videlicet.

Pro quolibet groſſo quatrenum unum.	b. o	q. 1.
& in caſu permutationis vnam gabellam ſoluat exterus.		
Pro quolibet pari calceorum hominum quatrenos tres.	b. o	q. 3.
Pro quolibet fœminarum quatrenos duos.	b. o	q. 2.

Pro

Pro quolibet puerorum quatrenum vnum. b. o q. 1.
Pro quolibet pari ſolarum ruſticorum quatrenos tres. b. o. q. 3.
Pro quolibet pari crepidarum bol. vnum. b. 1.
Pro qualibet ſalma pyrorum, malorum, & ſimilium fructuum bol. unum. b. 1.
Pro quolibet caniſtro, ſeu cittaa, & ſimili, fructuum comeſtibiliũ quatrenos duos. b. o q. 2.
Pro qualibet ſalma carbonum bol. vnum. b. 1.
Pro quolibet petio panni quantum ad texturam quatrenos tres. b. o q. 3.
Pro quolibet modio bladorum, ſeu leguminum ſoluat exterus bol. vnum. b. 1.
Pro centenario canalium bol. unum, cum dimidio. b. 1. q. 2.
Pro qualibet ſalma bladorũ, ſeu legumiuũ ſoluat Ciuis pro extractione bol. vnũ. b. 1.
Pro quolibet ſacco ollarum, ſeu fictilium ſoluat Ciuis pro extractione quat. tres. b. o q. 3.
Exterus vero bol. vnum. b. 1.
Pro qualibet ſalma aceti ſoluat exterus bol. vnum. b. 1.
Pro qualibet vrna aceti quatrenos duos. b. o q. 2
Pro quolibet vomere bol. duos. b. 2.
Pro qualibet vanga & zappa bol. vnum. b. 1.
Pro qualibet zappitello, rumpheo, & ſimili quatrenos tres. b. o q. 3.

Si quis gabellam defraudauerit ſoluat car. quatuor, & damnum gabellario emendet, ac expenſas, ſi quas propterea fecerit legitimas, eiuſque actio ſit vtilis intra annum quantum ad pœnas, & quantum ad gabellam ſit vtilis actio ſemper in non ſoluentem. Et venditor Ciuis denunciet gabellario alias teneatur de ſuo.

Tabula ſoluendorum in Ciuilibus.

Pro qualibet conſtitutione procuratoris. b. 1.
Pro productione libelli, ſeu petitionis. b. 2.
Pro petitione in actis deſcripta. b. 1.
Pro conteſtatione litis. b. 1.
Pro mandato, ſeu præcepto in actis deſcripto. b. 1.
Pro productione exceptionum, replicationum, allegationum, & cuiuſcunque ſimplicis ſcripturæ. b. 2.
Pro quolibet actu. b. 1.
Pro productione cuiuslibet ſcripturæ publicæ. b. 4.
Et tantundem pro Apochis, ſeu Chirographis.
Et ſi contingat regiſtrari in actis aliquod inſtrumentum ex prothocollo alicuius Notarii computata productione. b. 7. ÷
Pro reſtitutione cuiuslibet ſcripturæ publicæ, & Apocharum, quæ non reſtituantur niſi de mandato D. Iudicis, & dimiſſa copia collationata in actis ſi erit apocha, vel chirographum. b. 3.
Si vero inſtrumentum publicum, vel alia publica ſcriptura. b. 5.
Et ſi erit magna ſcriptura, habeatur ea ratio prout in copiis infradicendis.
Pro reproductione, ſeu repetione inſtrumentorum, ſeu actorum, & ſcripturarum alias in eadem cauſa productorum, & factorum nihil.
Pro productione reſcripti, & literarum Cameralium, ſeu Gubernatoris prouinciæ. b. 5.
Et tantundem D. Iudici. b. 5.
Pro fideiuſſione. b. 2.
Pro compromiſſis bol. duos pro qualibet parte. b. 2.
Pro productione actorum, & proceſſus in qualibet inſtantia tam factorum in eodem Tribunali quam alibi. b. 4.
Pro quolibet mandato, ſeu præcepto ac ſequeſtro. b. 2.
Et tantundem D. Iudici. b. 2.
Et ſi fuerit contra plures perſonas, dummodo pro eadem cauſa, & rei ſint litis conſortes, non augeatur taxa.
Si vero præceptum fiat contra plures, & pro diuerſis cauſis ſoluantur bol. duo pro quolibet reo vſque ad quatuor, ab inde ſupra non augeatur.
Pro reuocatione mandati, ſeu præcepti ſoluatur duplum tam Iudici quam Notario. b. 8.
Pro inhibitione cum inſertione ſupplicationis, & reſcripti. b. 7. ÷
Et tantundem D. Iudici vltra productionem reſcripti.
Pro ipſius reproductione in actis. b. 2.
Pro productione articulorum. b. 2.
Et pro quolibet articulo quatreni duo.
Pro examine cuiuslibet teſtis. b. 2.
Extra uero Curiã duplicetur ſolutio, & ſi Iudex interuenerit, ſoluatur tantũdẽ D. Iudici.
Pro productione interrogatoriorũ videlicet pro quolibet interrogatorio quatreni duo.

Pro copiis quibuſcunque. & regeſtris, ſeu extractibus pro qualibet facie carthæ bol. vnũ quæ contineat ad minus verſus ſexdecim, & quilibet verſus dictiones ſex.
Et pro qualibet minima copia. b. 2.
Pro copiis publicatis regiſtrorum, ſeu extractuum cauſarum, aut quorumcunque actorũ & teſtium ſoluantur bol. tres pro qualibet cartha vt ſupra ſcripta.
Pro copiis publicis dandis fideiuſsionum, compromiſſorum, mandatorum procuræ, ſententiarum, & aliorum inſtrumentorum ab actuario rogatorum car duo pro qualibet. b. 15.
Pro informatione D. Iudicis, & oſtenſione actorum Iudici, quando cauſa eſt expediẽda, ſi cauſa importauerit vſque ad duc. v. nihil ſoluatur, à quinque vero duc. vſque ad xv. bol. quinque, a xv. vſque ad xl. bol. x. a xl. vero ſupra pro quacunque ſumma non recipiat actus vltra car. duos, & teneatur informare quandocunque Iudici videbitur vſq; ad ſententiam.
Item teneatur actuarius abſq; mercede oſtendere libros actorum, & filſas partibus litigãtibus volentibus acta, & iura videre, lite pendente, præter teſtium depoſitiones, quæ non oſtendantur niſi facta publicatione, & ſolita copia.
Pro qualibet ſignata contumacia in actis quatrenum vnum.
Pro relatione intimationis quatrenum vnum.
Pro relationibus citationum deſcribendis in actis nihil.
Pro iuramentis calumniæ, ſeu deceſiuo, aut per verbum credit, bol. vnum pro quolibet. b. 1.
Pro ſuſpitione de fuga bol. v. & Iudici tantundem. b. 10.
Pro aggrauatione, & reaggrauatione teſtium non compareñ bol. vnum. b. 1.
Pro taxatione expenſarum bol. 2. & D. Iudici bol. quinque. b. 7. ÷
Pro terminis quibuſcunque etiam ad ſolueñ & relueñ quatrenum vnum.
Pro relatione mandatarii pignoris ſubhaſtati ſcribenda in actis, ſub pœna v. duc. tam actuario quam mandatario quotiens &c. b. 1.
Pro literis remiſſorialibus cum incluſione articulorum bol. x. & tantundem D. Iudici pro ſigillo, quando cauſa excedit ſummam ſcutorum trigiuta, ab inde vero infra dimidium ſoluatur. b. 20.
Pro reproductione earum cum teſtibus examinatis. b. 4.
Pro productione literarum remiſſorialiũ directarum D. Poteſtati à Iudicibus extraneis, etiam à D. Rectore prouinciæ cum articulis, & interrogatoriis introcluſis. b. 4.
Et ſi producantur ſimul aliæ ſcripturæ ad effectum recognoſcendi, vel aliter, quæ mittantur à dictis Iudicibus remiſſorialium pro vna tantum productionẽ ſoluatur.
Pro reſtitutione dictorum iurium nihil.
Pro literis reſponſiuis dictis remiſſorialibus. b. 5.
Et tantundem D. Iudici.
Pro acceſſu ad differentias cum D. Iudice intra Priuernum. b. 7. ÷
Et D. Iudici car. duo. b. 15.
Extra vero Priuernum duplicetur, ſi non vltra vnum milliarium, ſi vero vltra, iul. quinq; D. Iudici, & Notario iul. duo, & partes teneantur prouidere de equis.
Pro præſentatione, ſeu intimatione monitorii, aut citationis emanatæ à Curia Romana vna cum inſtrumento præſentationis illius, & copia danda citato, quã actuarius facere teneatur, iul. quinque, quando moniti, ſeu citati non ſunt vltra tres; Si vero dictum numerum excedunt, ſoluantur car. duo pro quolibet exceden vltra dictos iul v.
Pro depoſito pecuniarum in actis ac fiendo, pro annotatione illius in actis bol. vnum. b. 1.
Et pro illius conſignatione a duc. duobus infra nihil, ſupra vero vſque ad duc. x. b. 5.
Ab inde ſupra vſque ad quamcunque ſummam. b. 10.
Pro deſcriptione cuiuslibet decreti diffinitiui, in contradictorio iudicio ſuper aliquo incidenti actuario. b. 2. ÷
Et Domino Iudici. b. 5.
Si vero tale decretum diffinit totum negocium, & cauſam, habeatur ea ratio, quæ habetur in ſententiis diffinitiuis.
Pro ſententia diffinitiua a tribus duc. infra ſoluantur actuario. b. 2. ÷
Et Domino Iudici. b. 5.
A ducatis vero tribus vſque ad x. bol. 5. actuario, & D. Iudici bol. x. b. 15.
A ducatis x. vſque ad xx. bol. 7. ÷ Actuario & D. Iudici bol. 15. b. 22. ÷
A ducatis xx. vſque ad l. bol. 15. Actuario, & D. Iudici bol. 30. b. 45.
Ab inde vero ſupra iul. 5. Actuario, & D. Iudici ſcutum vnum. iul. 15.
Pro ſententia ſuper re ineſtimabili Actuario bol. 10 & D. Iudici bol. 20. b. 30.
In cauſa vero confinium inter particulares tantundem vltra viaticum. b. 30.
Pro relatione viſorum apprecii damnorum datorum ſcribenda in actis, quando eſt vna relatio etiam ſi damnum ſit datum per plures perſonas, ſeu diuerſi generis animalia in uno loco. b. 1.
Si uero in pluribus locis ſit datum damnum, tum plura appretia intelligantur.

Pro

Pro relatione ſcribenda in actis militis mittentis aliquem in poſſeſsionem ex primo, aut ſecundo decreto, ſeu facientis executionem ſuper reſtabili. b. 2.
Pro rogitu, & deſcriptione appellationum in actis. b. 4.
Et ſi contigerit eodem inſtanti a non admiſsione iterum appellare, intelligatur una appellatio quo ad taxam, & alia appellatio ſoluatur pro uno actu. b. 1.
Pro commiſsione mandati executiui dandi in ſcriptis. b. 1.
Et non relaxetur dictum mandatum donec Iudex diſcedat à bancho.
Pro productione ſententiæ damnorum datorum ad obtinendam executionem. b. 3.
Pro repetitione, ſeu reproductione relationis appretii dam. dat. ad effectum ſupradictũ. b. 1.
In cauſis uero Commiſſariis, forenſium, & Communitatum duplicentur ſolutiones in omnibus præmiſsis, præterquam in copiis tam publicis quam ſimplicibus regiſtrorũ, ſeu extractuum cauſarum, aut actorum, & teſtium, in quibus augeatur tantummodo bol. unus pro quolibet cartha copiarum tam ſimplicium quam publicarum reſpectiue.
Et ubi ſemel fuerit facta duplicatio dictarum mercedum, non poſſint amplius duplicari uidelicet in cauſa commiſſaria, & forenſiũ, una tantũ fiat duplicatio, & ſic de ſimilib'.
Communitas uero Priuerni pro ſuis cauſis, & negotiis nihil ſoluat.
Et ſi dicta Tabula ex uſu appareret ſuperflua, uel defectiua, liceat D. Poteſtati una cum D. Syndico pro tempore defectus ſuppıre, & ſuperflua reſecare.

Tabula ſoluendorum in Criminalibus.

Pro quibuſcunq; accuſationibus in Criminalibus, & extraordinariis ac etiam querelis nihil.
Pro qualibet reſponſione ad accuſationes, ſeu inquiſitiones, & ſimilia. b. 2.
Pro qualibet fideiuſſione de ſtando iuri, & iudicatum ſoluendo, ac de ſe præſentando, & non offendendo, & ſimilibus. b. 2.
Pro ſimplici obligatione de ſtando iuri, & iudicatum ſoluendo etiam ſine cautione. b. 2.
Pro rogitu pacis pro qualibet parte. b. 2.
Pro contumacia qualibet data reo nihil.
Pro refectione expenſarum contumacialium per reum condemnatum in contumaciam ſoluantur Cancellario. b. 7 ÷
Et D. Iudici pro ſuo decreto tantundem. b. 7. ÷
Pro copia inditiorum, & proceſſus, & aliis quibuſcunque copiis tam publicis quam ſimplicibus ſoluatur prout in ciuilibus.
Pro copia accuſæ, ſeu Inquiſitionis in criminalibus. b. 2.
Pro examine teſtiũ pro informatione Curiæ nihil ad inſtantiã uero partiũ, & parte citata. b. 2.
Pro exceptionibus producendis. b. 2.
Pro quolibet actu deſcripto in actis. b. 1.
Pro caſſatione cuiuslibet accuſæ, ſeu proceſſus medium carlenum.
Et quando reus abſolutus ſoluit Cancellario mercedem abſolutiuæ teneatur Cancellarius abſque alia mercede in margine accuſæ; Inquiſitionis, ſeu proceſſus mentionem facere de huiuſmodi abſolutoria, cum relatione, & deſignatione folii, in quo ſententia abſolutoria deſcripta apparuerit.
Pro productione reſcripti. b. 5.
Et D. Iudici tantundem. b. 5.
Pro productione exceptionum, replicationum, allegationum, & cuiuſcunque ſimplicis ſcripturæ. b. 2.
Pro ſententia abſolutoria in cauſa capitali, & ultimi ſupplicii D. Iudici, iul. 20.
Et Cancellario iul. quinque. iul. 5.
Pro ſententia abſolutoria non capitali, in qua reus ueniret puniendus aliqua pœna corporis afflictiua, vel corporali D. Iudici iul. quinque. iul. 5.
Et Cancellario bol. xv. b. 15.
Pro ſententia abſolutoria in qua quis ueniret puniendus pœna pecuniaria, a duc. v. infra D. Iudici bol. quinque. b. 5.
Et Cancellario. b. 2. ÷
A duc. v. uero uſque ad x. D. Iudici. b. 10.
Et Cancellario. b. 5.
Ab inde ſupra uſque ad quamcunque ſummam D. Iudici bol. xv. & Cancell. bol. 7. ÷ b. 22. ÷
Pro mera interlocutoria nihil.
Pro abſolutione accuſæ bol. 15. diuidendi prout in ſtatuto de abolitione loquẽs lib. 3.
Pro inuentario conficiendo in bonis delinquentis, quod fiat in illis caſibus tantũ, in quibus uenit publicatio bonorum ſecundum formam ſac. conſtitutionum, ſoluantur car. 5. uidelicet D. Iudici car. duo, Cancellario car. duo, & militi executori car. unum. b. 37. ÷
Pro appellatione quacunque car. medium. b. 3. ÷
In cæteris caſibus contingẽ hic non deſcriptis ſeruetur taxa Ciuilium.

Tabula Cancellarii Communis.

Pro quibuslibet literis rogatoriis, aut commendatiis, aut aliter ſcriptis ad inſtantiam priuatorum. b. 4.
Pro legalitate Notariorum. b. 5.
In forenſibus duplicentur ſolutiones.

Tabula ſoluendorum in damnis datis.

Pro excuſatione, ſeu reſponſione in dam. dat. nudis uerbis bol. vnum. b. 1.
Pro copia accuſationis, ſeu Inquiſitionis. b. 1.
Pro productione exceptionum in ſcriptis. b. 2.
Pro replicatione ex parte Inquirentis nudis verbis ſcribenda in actis bol. vnum, ſi vero fiat in ſcriptis. b. 2.
Si ſit ſpecialis perſona; ſi uero cuſtos, aut habens aliquod officium in palatio nihil, ſcilicet ex parte Communis.
Pro triplicatione ex parte accuſati. b. 1.
Pro abſolutionibus, & caſſationibus accuſarum in damnis datis nihil.
Pro examine cuiuslibet teſtis. b. 1.
Pro copia cuiuslibet teſtis. b. 2.
Pro qualibet comparitione in actis ſcribenda. b. 1.
Si uero in ſcriptis producatur. b. 2.
Pro productione articulorum, & interrogatoriorum. b. 2.
Et ultra productionem pro quolibet articulo, ſeu interrogatorio quatrenos duos.
Pro quibuſcunque copiis tam publicis quam ſimplicibus recipiat Cancellarius iuxta taxam Ciuilium.
In reliquis ſcripturis occurrentibus, ubi non eſt diſpoſitum per taxam ſupradictam, recipiat mercedem iuxta taxam Notarii Ciuilium.

Tabula Militis, ſeu Executoris Curiæ.

Pro captura banditorum, & condemnatorum ad ultimum ſupplicium, ſeu illorum de quibus notorium eſt quòd commiſerint delictum, ut uenirent puniendi pœna vltimi ſupplicii, ſi contingat quod ſine aliqua pœna etiam pecuniaria liberarentur ex gratia, ſeu ex quacunque alia cauſa etiam per ſententiam, ſcuta duo. iul. 20
Si liberarentur à pœna mortis, & punirentur aliqua pœna citra mortem naturalem, ſcutum unum. iul. 10.
Pro captura rei accuſati, & inquiſiti, ſeu illius contra quē extarent inditia, quæ non ſunt notoria de delicto digno pœna vltimi ſupplicii, ſi contingat quòd ſine aliqua pœna liberetur ex gratia, vel ſententia, vel etiam ſi cum pœna citra mortem, medium ſcutū. iul. 5.
Pro captura rei condemnati, ſeu inquiſiti, ſeu inditiati ex delicto pro quo ueniret puniēdus pœna corporis afflictiua etiam minima, vel relegandus, vel deportandus iul. duo cum dimidio. b. 25.
Pro mercede Carceris in caſibus præmiſſis videlicet pœnis capitalibus, & corporalibus ſupradictis, pro quolibet die carceris car. medium uſque ad xii. dies incluſiue; & ſi ultra dictos dies xii. contingat in carceribus detineri, nihil vlterius ſoluat.
Pro captura rei condemnati, ſeu inquiſiti, ſeu indictati ex delicto pro quo ueniret puniēdus pœna pecuniaria, nihil, preter mercedem executionis infraſcriptam quo ad condemnatos.
Et pro carceratione, & detentione in carceribus nihil.
Pro captura, & carceratione, ac detentione in carceribus in cauſis ciuilibus nihil, præter mercedem executionis infra poneñ.
Pro mercede executionis in Ciuilibus à x. car. infra. b. 1.
A x. uero car. uſque ad xx. b. 3.
A xx. vſque ad xxx. b. 5.
A xxx. uſque ad l. b. 7. ÷
A duc. v. uſque ad x. b. 10.
A x. duc. ſupra vſque ad xx. b. 15.
A xx. duc. uſque ad l. uel infra. b. 25.
A duc. l. uero uſque ad centum & ſupra, etiam uſque ad quamcunque ſummam. b. 37. ÷
Extra Terram Priuerni vltra centum paſſus duplum recipiat executor.
Et ſi executio fieret ad inſtantiam Ciuium contra forenſes, executor recipiat duplum premiſſorum; ſi uero ad inſtantiam forenſium contra Ciues accipiat prout ſupra diximus & non duplicetur ſolutio.

In Criminalibus uero contra forenſes duplicetur ſolutio.

Pro immiſſione in poſſeſſionem cuiuſuis rei ſtabilis tam ex primo quam ex ſecundo decreto, aut virtute deliberationis poſt ſubhaſtationes, uel aliter, recipiat mercedem pro ut in executionibus, iuxta ualorem, & importantiam rei de qua agitur.

De mercede Mandatariorum.

Pro qualibet perſonali citatione, ſeu intimatione quatrenus unus. b. o q. 1.

Si domi dimiſſa copia quatreni duo. b. o q. 2.

Pro præſentatione præcepti, ſeu mandati, aut citationis uigore Communis, etiam ſi fuerint emanatæ à curia generali prouinciæ Campagniæ, pro qualibet perſona contra quã præſentauerit bol. unus, uſque ad numerum quinque perſonarũ, ab inde ſupra nihil. b. 1.

Pro quolibet bandimento, ſeu proclamate, aut ſubhaſtatione. b. 1.

Et teneatur relationem facere Notario de ſubhaſtatis quanti, & cui, ac pro quo ſub pœna duc. quinque, & alia obſeruare prout in ſtatuto de officio Mandatariorum.

De mercede, ſeu patrocinio Procuratorum, & Aduocatorum.

STatuimus, & ordinamus quod quilibet Procurator deſcriptus in actis curiæ non poſſit in ſuo patrocinio in procurando ulterius a ſuo cliente petere, quam infra ordinatũ apparet, niſi aliter cum partibus conuenerit.

In quibuſcunque cauſis Ciuilibus in prima inſtantia.

LIcet ſupra fuerit ordinatum, quod cauſæ à car. xx, infra terminentur ſummarie oretenus, & ſine ſcriptis, tamen ſi contingat propter partium ignorantiam in illis procuratorem adhibere pro Iudicis informatione, ſalarium procuratoris ſit, uidelicet.

A x. car. infra in quibuſcunque cauſis,	car. 2.
A car. uero x. uſque ad xx.	car. 3.
A car. xx. vſque ad L.	car. 4.
A duc. v. uſque ad x,	car. 5.
A x. vſque ad xx.	car. 10.

Ab inde ſupra uſque ad quamcunque ſummam ultra dictos x. car. lucretur procurator bol. duos pro quolibet ducato, & ducatorum numerus incipiat in præmiſſis a ducatis xxi. & ultra ut ſequitur.

In cauſis maleficiorum.

Si cauſa ſit capitalis uidelicet pœna mortis, ſalarium ſit ducatorum quinque.	car. 50.
Si uero non ſit pœna mortis, ſed membri ſal. ſit duc. trium cum dimidio.	car. 35.

Si uero pœna ſit pecuniaria, ſalarium ſit prout in cauſis ciuilibus.

In Cauſis Appellationum.

SI cauſa ſit primæ, uel ſecundæ appellationis, ſi ex eiſdem actis cauſa ſit expedienda & decidenda, ſalarium ſit medietas illius quod dictum eſt in prima cauſa.

Si uero ex alijs actis deducendis & faciendis in cauſa, ſalarium ſit tertium minus eius quod dictũ eſt in prima inſtantia.

Procuratores uero ſuccumbentes in cauſis ſupradictis exigant ſolum dimidium eius, quod exigere potuiſſent, ſi in cauſa obtinuiſſent.

Si uero partes uenerint ad concordiam ante terminum probatorium, ſalarium ſit medietas eius, quod ſupra ſtatutum eſt.

Vbi uero partes poſt dictum terminum, & ante publicationem proceſſus, uenerint ad concordiã, ſalarium ſit tertium minus, ſi uero poſt publicationem, ſalarium ſit integrum.

In cauſis uero appellationum, ſi partes uenerint ad concordiam ante terminum iuſtificatorium, uel aliter appellationi renunciauerint, ſalarium ſit quarta pars eius quod ſupra dictum eſt.

Si uero poſt dictum terminum, ſalarium ſit tertium minus integræ mercedis conſtitutæ in cauſis Appellationum.

Aduocatorum uero patrocinia in cauſis præmiſſis duplicentur reſpectiue.

Tabula mercedum Notariorum in ſcripturis, ſeu inſtrumentis.

Pro rogitu cuiſcunq; Teſtamenri ſeu Codicilli, b. 10.
Pro rogitu Matrimonij ſeu ſponſaliorum ſic & conſignationis ſeu ſolutionis dotium. b. 10.
Pro rogitu quorumcunq; inſtrumentorum venditionum, concordiarum, tranſactionum, quietantiarum, donationum, procurationum, & aliorum quorumuis contractuum ſuper quibuſcunque negociis & rebus. b. 5.
Pro rogitu appellationis corâm Iudice tam ciuiliter quâm criminaliter. b. 5.
Pro rogitu Inuentarij bonorum defuncti. b. 10.
Pro labore ad quærendum Rogitum ſeu inſtrumenrum in Protocollo. b. 4.
Pro oſtenſione in protocollocuiuſcunq; inſtrumenti Teſtamenti, ſeu Dotium, Venditionum, Donationum, tranſactionum, & alterius cuiuſuis contractus, etiam Iudici facta dummodo in actis Curiæ non regredietur. b. 4.
Si vero in actis Curiæ lite pendeure, ſeu, non conrigerit aliquod ex præmiſsis inſtrumentis ſeu contractibus regiſtrari ex protbocollo Notarij Viui tunc ſoluat dimidium eius quod ſoluerer ſi in publica forma daretur.
Pro caſſatione cuiuſcunq; contractus ſeu obligationis, ſi illius importantia ſeu valor erit vſque ad ſummam quinquaginta ſcut. carl. ij. b. 15.
A ſcutis vero 51. vſque ad 75. incluſiue carl. 3. b. 22½.
Ab inde ſupra vſque ad centum carl. iiij. b. 30.
A' ſcuris vero 100. ſupra vſq; ad ſummam ſcut. 300. ſoluantur carl. quatuor pro quolibet centenario pro rata.
Ab inde ſupra pro quacunque ſumma nihil vlterius petere poſſit Notarius.
Pro qualibet copia ſimplici cuiuſcunque Contractus ſeu Inſtrumenri deſcripti in Prothocollo, præterquam Teſtamẽti, pro qua Notarius cogi non poſſit niſi ad dandum inſtrumentum publicum, & in quibus copijs non cogatur Norarius Teſtes apponere, neq; eas ſubſcribere, ſoluatur merces iuxta laborem, videlicet pro qualibet facie paginæ, quæ conrineat ſalrem verſus xxij. & quolibet verſus dictiones ſaltem ſeptem. b. 5.
Et pro qualibet minima copia contractuum. b. 10.
Pro inſtrumento publico cuiuſcunque Teſtamenti, Matrimonii, conſignationis dotium, concordiæ, venditionis, Donationis, & Alterius cuiuslibet coutractus, pro quacunque cauſa & negorio celebrati, Si Valor ſeu Importanria conrractus, aut ſuper qua fit contractus erit vſq; ad ſummã ſcutorum duodecim cum dimidio, ſoluantur carl. duo. b. 15.
A' dicta ſumma vſque ad ſcuta xxv. carl. quatuor. b. 30.
Ab inde vſque ad ſcura 50. carl. quinque. b. 37½
Ab inde vſque ad ſcuta 75. iul. quinque b. 50.
Ab inde vſq; ad ſcura 100. incluſiue iul. b. 60.
Ab inde vſque ad ſcuta 150. carl. decem b. 75.
Ab inde ſupra pro quibuslibet ſcutis 50. carl. duo. b. 15.
Ita quod nou excedant ſummam iul. viginriquinque pro quolibet inſtrumento; et ſi in quocunque Inſtrumenro erunr cautiones præſtitę tâm tempore celebrati contractus quam poſt ex interuallo nihilominus non augeatur merces.
Pro quoliber inſtrumento cautionis abſoluto & de per ſe, pro quacunque ſumma & cauſa præſtitæ merces ſit vt ſupra declaratur.
Pro inſtrumenro publico locationis domus ſeu affictus terrarum ad tempus iul. duo. b. 20.
Pro inſtrumento publico pacis carl. quatuor. b. 30.
Pro inſtrumento publico maudati procurationis ad lites tantum carl. duo. b. 15.
Ad alia negocia vero iul. duo cum dimidio. b. 25.
Er tanruudem ſi mixtim ad negotia & lites.
Pro quoliber tranſumpto inſtrumenti Notarij prædefuncti ſoluatur merces Hæredibus Notarii ſecundum valorem & importantiam inſtrumenti iuxta taxam ſupra expreſſam, & dicti Hæredes debeant concordare Norarium copiantem rranſumptum pro vt inter eos fuerit conuentum, ſi per Alium Notariumm, quam per Actuarium Curiæ Ciuilium copiari contigerir; ſivero per Actuarium, ſoluatur ei pro ſuo labore quarta pars mercedis ſupradictæ iuxta tenorem Bullę Cameralis. Et pars volens rranſumptum tenearur ſoluere mercedem aliorum Duorum Notariorum ſubſcribẽtium & Decretum D. Iudicis.
Pro mercede cuiuslibet Notarii ſubſcribentis tranſumptum. b. 5.
Pro Decreto D. Iudicis auſcultautis trauſumptum. b. 7½

Series Chartarum.

✠ A B C D E F G H I K L M.

Omnes ſunt duerniones præter, M qui eſt integro folio.



R O M AE,

Apud Hæredes Antonii Bladii Impreſſores Camerales.
Anno. M. D. LXXIII.